


URE

AN

18



SUPERIOR REGULARIS
QUA PATER, QUA JUDEX.
PARS SECUNDA,

291
JCL

SUPERIOR REGULARIS
QUA PATER, QUA JUDEX.
IN DUAS PARTES DIVISUS,
S E U

Synopticum Compendium eorum omnium, quæ
à Superioribus Regularibus

DESIDERANTUR,

Tam in Regimine Conventuum, quam etiam in per-
agendis Canonis Paternis Visitationibus, ac demum
in formandis Juridicis Processibus.

Superioribus tūm Localibus, tūm Provincialibus,
NEC NON

Visitatoribus Generalibus, quemadmodum & Com-
missariis delegatis
Summoperè utilis, & necessarius.

Auctore A.R.P. BENEDICTO KOTFICKI, Ord:
Min. S. P. Francisci Reg: Observ. L. J. Provinciæ Im-
maculatæ Conceptionis in Russia iteratò Ex-Provin-
ciali

D E L I N E A T U S.

Anno quô Pater Æternus misit Filium suum, non ut judicet mun-
dum, sed ut salvetur mundus per Ipsum 1773.

B E R D I C Z O V I Æ.
Typis Fortalitii B.MV. de Monte Carmelo cum Privilegio S. Reg. Majestatis.

Jgnorantia Judicis plerumq; est calamitas
innocentis. Aug: de Civ. DEI.

Debet quisquis proprias Virtutes per-
pendere, & pro qualitate virium curam
aliorum suscipere, ne dum delectatus loco
gloriæ, fiat Subditis auctor ruinæ; & qui
gravatur pondere suarum, velit fieri Ju-
dex alienarum culparum. Durum enim est,
ut qui nescit tenere moderationis vitæ suæ,
Judex fiat alienæ. Greg: super Eccl. 7.

Judicis non est sine accusatore damnare,
quia Dominus Judam licet fuisset fur, cum
non esset accusatus, minimè abjecit. Ambr.
ad Corinth. C. ad Dam.

Judex peccatis veniam dare non potest,
quia voluntati servit alienæ: Deus autem
potest, quia est suæ Dispensator ac Judex.
Bern. in quadam Epist.

Noli quærere fieri Judex, nisi valeas vir-
tute disrumpere iniquitates. Eccl. 7.

DEDICATIO OPERIS
Illustrissimo Excelentissimo Dcmino
CAJETANO JOSEPHO
In Chodorkow & Makarow de Roscisewa
ROSCISZEWSKI,
Decano Cathedrali & Officiali Generali Ki-
joviensi Canonico Cathedrali Vilnensi
Domino Colendissimo, Mæcenati
Amplissimo, Protectori
Gratioſſimo:



Superiorem Regularem qua Patrem, qua Fil-
dicem, omni titulo aliunde Tibi debitum,
in sinu benevolentiae Tuce repono suppe-
daneum. Illustrissime, Excellentissime Domine, Mæce-
(2) nas

nas amplissime, Protector Gratiissime. Debetur ille
Tibi, qua Fratrum nostrorum amabili Fundatori. De-
betur qua aliquot Conventuum Nostrorum, in hac Prae-
celsa Diæcesi, per Te gubernata existentium Maximo
Protectori. Debetur qua totius Provincie benignissimo
Nutritio, & Tauri. Debetur ad ultimum, qua mei
ipsius amplissimo Benefactori.

A multis siquidem annis, maximis Tuis præventus
beneficiis, nullis meis præcedentibus meritis, ipsa non-
nisi innata Tibi erga Minorilicam Familiam benevolen-
tia duce, copiosus in me Te effusum conspiciens, semper
recogitabam qua via, quove modo, debitæ Tibi gratitu-
dinis, dare documenta liceret. Ast pauper inopsq; rerum
inventus, coactus sum manere contentus solo desiderio,
sinceraq; voluntate monstrandæ Tibi aliquando debitæ
gratitudinis.

Interea quod palam publiceq; contestari non licuit, in
privata coram Deo fovebam memoria, cuncta Tibi con-
tinuo exoptans prospera. Quodlibet respirum, videba-
tur pium ad Deum spirum pro Tua Illustrissime Do-
mine longæva incolumentate. Nulla præterlapsa dies, quo
dulcis Tui memoria mentem meam non recrearet, recre-
ando amorem Tui non accederet, amore accenso ad De-

um

um pii amoris fontem non converteret, conversum ad o-
ptime Tibi precandum non stimularet.

Et ecce Amicorum urgent consilia, ut quæ ego sæpius,
sive de regulis justi rectiq; Gubernii, sive demum de jure
Canonico Regulari differui aut practicavi, luci publicæ
commendarem. Quibus urgentiis vix primum assensum
præbui, eodem in puncto Tu Illustrissime Domine (que-
madmodum alijs menti meæ obvius) eo fortius accendi
amorem, ad suscipiendum fortis animo eundem quantumvis
licet aliunde arduum laborem, Plurimum siquidem deter-
rebant me, fractæ aliis laboribus, continuisq; infirmitati-
bus vires; ast desiderium monstrandæ Tibi alicujus gra-
titudinis, sinceræq; ac piæ erga Te addictionis vicit o-
mnia. Immori potius elegi in conamine dandi documenta
me Tuum Illustrissime Domine fore devinçissimum ser-
vum, quam quo vitam protrahere liceret vivere ingra-
tum. Sicq; benigne opitulantibus Superis factum, ut
quæ Cælis faventibus fieri posse cogitavi [Anno siqui-
dem pestiferæ Luis hunc laborem inchoavi] hoc Anno
Deo adjuvante feliciter complerem.

Nullam igitur passus moram, in die Natalis Tui,
protinus una cum hoc vili quantumvis licet labore,
ad pedes Tuos Illustrissime Domine convolo, eumque

[3]

in

in sinu benevolentiae Tuæ repono suppeditaneum. Certo certior factus nullibi illum securius quiescere posse, quam sub Tuæ protectionis umbra! qui tanto literatorum teneris amore, ut pro illis fovendis unice natus videaris. Palam, id est cunctis, Aulæ Tuæ, rerumq; à Te gestarum hoc fine, gnaris. Ita enim Domum Tuam ex egregiis lingvarum, artium, scientiarumq; Magistris coadunasti, quod hæc literatorum Patria, aut scientiarum Liceum videatur.

Ast & illud quod non exiguum jus Tibi tribuit in has meas lucubrationes, quod hæc in hac præclara Diœcesi lucem publicam aspicerunt! quam tu Persona Tua decorasti, clarissimis exemplis illustrasti. Nimirum in Templo devotus, ad Altare pius, in Curia justus, domi hospitalis. Hinc factum est, quod eandem Diœcesim per longam sui Pastoris absentiam viduatam, ipsa Sedes Apostolica per Breve speciale Tuæ tutelæ commendandam putaverit.

Quod muneric Tu illa cum alacritate, illa cum prudentia es executus, ut omnibus numeris absolutissimus Pastor videreris. Solaq; Insula abesse videbatur (quam tu humilitati addictus refugis) Pastore Ovili suo præsente, ast forte inclinaberis precibus, dignumque Tiaram Caput eadem coronari patieris.

Et hæc omnia adusque recensita, nonne sunt sufficientissima jura? quæ hunc Superiorum Regularum qua Patrem qua Judicem Tibi omnimode vestigalem adstruant? utique hæc forent satis, ast mihi ulro plura occurrunt, quæ si omnia recitanda suscipere vellem, in tertium Tomum excrevisset Liber, Tuamque læderet modestiam. Hinc parcendum illis putavi, unum tamen est, quod nullatenus silere possum.

Cui enim potiori jure debeatur hic Superior Regularis qua Pater, qua Judex, si non Tibi Illustrissime Domine, Mæcenas Amplissime? Qui rarissimo exemplo Patris probi, Judicisque spiritualis ingenui honorem, in Te uno coadunasti, ex utroque admirandus, ex utroque venerabundus.

Sic enim Parentis munia imples, quod quicunque vident, Te verum, probumque agnoscunt

gnoscunt Patrem. Si enim juxta Aristotelem Patrem non probat generatio sed ingenua morum educatio, quis unquam sollicitior Te inventus pro pia ingenuaque Prolis suæ educatione? Nullis parcis expensis, quo eximiam Tuam Prolem dignam magnō Tuō Nomine, dignam Te Magno Patre efformes, ut quicunque quempiam ex Natis Tuis videat, illico conjiciat magno Patre Rosciszewio debere fore Progenitos. Sic enim illis pietatem instillas, affabilitate erga Concives imbuis, in morum honestate instruis, in linguis artibusque ac demum debitis scientiis erudiri facis, ut Patriæ proficuos atque illius emolumenta, efformes natos Tui ad exemplum Magne Pater, qui amore boni publici totus absorptus manes.

Ast neque Judicem justiorem Te quispiam unquam desideravit, qui ita ad præ-

scriptum

scriptum Legis incedis, ac si Jus Canonicum à Te promanatum foret. Ita misericordiæ memor, ut in nullo justitiam lèdas, sic justus, ut justitiæ semper admisceas misericordiam. De corruptione nedum non suspectus, quin potius propriæ fortunæ cum dispendio, pretiosissimæ sanitatis cum detrimento, sitientibus justitiam, alaci animo, prona cum voluntate extemplo administras. Sicque nedum magnorum proborumque Patrum, verūm etiam æquissimorum Judicium idea factus.

Et hæc sint satis [licet multò plura alia occurant] quo Tibi Illusterrime Domine jus plenum & integrum in hunc Superiorēm qua Patrem qua Judicem deducitum adstruam. Quo inconcusse stabilito jam dictum Superiorēm in sinu benevolen-

tiæ.

*tiæ Tuæ repono suppedaneum, quemadmodum
præprimis dixi.*

Illusterrimæ ac Excellentissimæ Do-
minationis Vestræ Infimus & Devictis-
simus Servus.

Fr. BENEDICTUS KOTFICKI.

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

DE Mandato A.R.P. FELICIANI LEWICKI Ministri Pro-
vincialis, Provinciæ Russiæ, Ordinis Minorum Reg. Obser.
quâ potuimus curâ, & diligentia evolvimus, ac perlegimus Li-
brum intitulatum *SUPERIOR REGULARIS*, quâ Pater, quâ
Judex &c. editum ab A.R.P. BENEDICTO KOTFICKI Le-
ctore Jubilato, Ex-Ministro Provinciali nostræ Provinciæ, &
eum per omnia cognovimus sanam, ac undequaque solidam
continere Doctrinam, Fidei Orthodoxæ, bonisq; moribus con-
formem, atque ut quam primum in lucem publicam prodeat,
utpotè tam Superioribus, quam Subditis Regularibus utilissi-
mus, judicamus, & optamus. In quorum fidem manus proprias
apponimus. Deditus in Conventu Nostro Zastavieni ad S.
Michælem Archangelum. Die 10. Augusti, Annô Domini 1772.

Fr. Andreas Jordan S.T.L. Jubilatus, Guardianus Con-
veniens Zastavieniſis. mppr.

Fr. Symphorianus Razmisiwicz. S.T.L. G. Definitor
Actualis Provincie. mppr.

LICENTIA A.R.P. PROVINCIALIS.

Liber, cui Titulus: *SUPERIOR REGULARIS*, quâ Pater, quâ
Judex, per A.R.P. BENEDICTUM KOTFICKI Lectorem
Jubilatum, Ex-Provincialem hujus Nostræ Provinciæ Russiæ
compillatus, postquam à duobus Theologis revisus, examina-
tus, & approbatus maneat. Cùm nihil contineat moribus Ca-
tholicis, Orthodoxæq; Fidei contrarium, quin potius sparsa
cum multa amplitudine per varios Auctores succinctè ad me-
moriā scientis revocat, & quasi præ oculis ponit. Jam verò
ignaros Juris Canonici Regularis facillimâ methodo, & penè in
promptu docet ejusdem Juris Canonici à Regularibus usitati,
& necessariò usitandi medullam. Hinc quatenus idem Liber
Typis imprimi possit, & valeat, quantum ex Nobis est, licen-
tiam

tiam perlibenter concedimus. Deditus in Conventu Nostro Zaſtaviensi ad S. Michælem Archangelum. Die 10. Augusti, Anno Domini 1772.

Fr. Felicianus Minister Provincialis. mppr.

De Mandato A.Rdæ Paternitatis ſue.

Fr. Cajetanus Dominek Secretarius jura-
tus Provincie. mppr.

[L.S.)

FACULTAS DIÆCESANA.

Ut (detersâ ſæpiâ) lucem publicam videat Liber altæ æſtimatio-
nis (cui Titulus) Superior Regularis quâ Pater, quâ Judex &c.
ab A.R.P. BENEDICTO KOTFICKI, Ordinis S.P. Franciſci
Regularis Observantiae, Lectore Jubilato, Provinciæ Russiæ jam
iteratò Meritissimo Ex-Provinciali, pronuncij; actuali Conventùs
Zaſtaviensis Gvardiano Dignissimo, compendiosò sat eruditè
conſcriptus calamô, & quò ad decretam mentem Romanam, &
què ſolidam ac ſanam continens doctrinam, moribus Catholicis,
Orthodoxæq; Fidei ex toto conſonam, omninô tanto dignam
Authore, qui Juris Canonici Regularis optimè gnarus, uſuq; ex-
perientiali facile inexpertos erudiens, medullam ejusmodi Juris
more Apis laboriosæ, Ipſe primò ſaviter deguſtavit, deinq; redu-
ctam in Synopſim collegit etiam pro aliis, tam Superioribus, quam
Subditis plus minusvè gnaris. Cùm ergo tam Eximii Compilla-
toris Labor & Liber hic, ſit per omnia ſummoperè utilis omnibus,
maximè Religionum Superioribus, nedum Junioribus eligendis,
ſed & Veteranis ad rectum Legibus uſum, ac earumdem custodi-
am obligatis; eundem itaq; imprimendi facultatem mihi aliudnè
datam, ex animo concedo, ac impertiōr. In quorum Fidem &c.
Datt. in Conventu Nostro Viſnicensi sub Titulo SS. Salvatoris,
Die 19. Januarii. A. D. 1773.

Fr. Josephus à B.V.M. de Monte Carmelo, per utramq;
Poloniā & Russiam Ex Visitator Generalis, ac Expro-
vincialis, Conventū Berdyczow. Prior, Prothonotarius
Apostolicus, per Diæcſimq; Kijoviensem Synodalis Librorum
Censor. mppr.

JNDEX CAPITULORUM Et in illis Contentorum. PARTIS SECUNDÆ.

CAPUT 1. Quid & quotuplex fit Judex?	Pag: 1.
CAPUT 2. De Judicibus Ordinariis.	Pag: 3.
CAPUT 3. De Jūdicibus Delegatis.	Pag: 7.
CAPUT 4. De Arbitris.	Pag: 18.
CAPUT 5. Quæ in Judicibus desiderantur.	Pag: 20.
CAPUT 6. Qui in Religionibus ab intrinſeco Judi- ces eſſe nequeunt.	Pag: 25.
CAPUT 7. Qui ab extrinſeco, ſeu accidentalī Judi- ces eſſe nequeunt.	Pag: 31.
CAPUT 8. Quam formam Juris ſervare debet Judex Regularis.	Pag: 39.
CAPUT 9. Quot Personæ conſtituant Judicium?	Pag: 42.
CAPUT 10. Quæ ſub nomine Actoris veniunt conſi- deranda & obſervanda?	Pag: 45.
CAPUT 11. Quæ circa Denuntiationem occurru- nt ſitu necessaria?	Pag: 51.
CAPUT 12. In quo conſiftat formalitas Judicij?	Pag: 55.
CAPUT 13. De Infamia & indiciis.	Pag: 57.
CAPUT 14. De Inquifitione.	Pag: 62.
CAPUT 15. De Exceptione.	Pag: 67.
CAPUT 16. De Corpore delicti.	Pag: 72.
CAPUT 17. De Testibus.	Pag: 74.
CAPUT 18. De Reo.	Pag: 84.
CAPUT 19. De Tortura.	Pag: 90.
CAPUT 20. De Defenſionibus & Patrono.	Pag: 92.
CAPUT 21. De Purgatione Canonica.	Pag: 95.

CA.

CAPUT 22. De Sententia & Pænis.	Pag. 100.
CAPUT 23. De Appellatione.	Pag. 113.
CAPUT 24. Praxis Visitationis Generalis Paternæ à Provinciali faciendæ.	Pag. 142.
CAPUT 25. Praxis Inquisitionis Generalis quidem, sed Juridicæ, quæ dicitur Judicialis, faciendæ à Praelato Provinciali.	Pag. 147.
CAPUT 26. Praxis incipiendi Processus per viam Inquisitionis specialis emergentibus indiciis ex Visitatione seu inquisitione Generali Judiciali, aut ex fama præcedente, ac demum, per viam Inquisitionis mixtæ.	Pag. 152.
CAPUT 27. Praxes incipiendorum Processuum per viam Accusationis, Denuntiationis, & Exceptionis, ac tandem Notorii.	Pag. 158.
CAPUT 28. Praxis faciendæ Delegationis in casu quo Judex Ordinarius per se non valet cognoscere de aliquo, vel aliquibus delictis, & inchoandi Processus à Delegato.	Pag. 168.
CAPUT 29. Praxes circa Recusationem Judicis sive Ordinarii sive Delegati in Visitatione Judiciali.	Pag. 173.
CAPUT 30. Praxis probandi Corporis delicti,	Pag. 181.
CAPUT 31. Praxes Examinandorum Testium.	Pag. 188.
CAPUT 32. Praxis Examinandi & constituendi Reum.	Pag. 196.
CAPUT 33. Praxis concedendi Reo debitas Defensiones.	Pag. 206.
CAPUT 34. Praxes Sententiarum.	Pag. 210.
CAPUT 35. Praxes Appellationum.	Pag. 228.
CAPUT 36. Praxis integri Processus usque ad sententiam Definitivam.	Pag. 234
	PRÆ-

PRÆFATIO AUCTORIS.

Ad Benevolum Lectorem.

Judicum Judiciorumq; Venerabile Nomen maximo in honore ubivis locorum semper erat, & ad præsens manet; ut potè quorum operâ Justitia quâ stant Reges & Regna, cunctæq; Reipublicæ pulchro florent virore, in toto, ac in tuto custodita conservatur.

Justitiæ siquidem adscribendum manet, quidquid honoris, quidquid felicitatis, Regnis, Rebusq; Publicis, gratulandum occurrit.

Justitia siquidem est Virtutum plasmatrix, vitiorum extirpatrix, bonorum præmatrix, felicitatis nutrix. Justitia est malorum terror, pacis custos, concordiae parens, securitatis mater, Societatis humanæ vinculum.

Neq; enim ideò Judicum Judiciorumq; in orbem introducta Auctoritas, ut rixis provocationibusq; aut forte inquietudini, vel oppressioni innocentium aperiatur via; sed quod effrenata cupiditas sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum reprimatur; litigiorumq; abusus extingvantur. Quemadmodum id abundè docuit Gregorius IX. in sua Decretali quæ incipit: *Rex pacificus*, ubi habet: Ideò Lex producitur, ut appetitus noxius sub Juris Regula limitetur, per quam genus humanum ut honestè vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, informatur. Hinc illud Böétii: ut pax & concordia in Ecclesia DEI habeatur, Justitia à Domino est ordinata; Justitia enim & Pax se invicem comitantur.

(b)

Er

Et sane, si enim Judicia Justitiamq; demas, quid in quibusvis Communitatibus exurget? si non confusa Babylon, vi-
tiorum spelunca, latronumq; congeries, prout non immerito
advertisit S. Bruno *in Ornam. Eccles. Cap. 4.* inquiens: tolle justi-
tiam & perit mundus. Ubi Justitia non est, iniquitas domina-
tur, ibi cædes & rapina, furta, homicidia, timor & angustiæ, &
securitas nulla. Hucusque Bernardus. Jam audiamus Cassio-
dorum *Libro de vera Justitia*, ubi habet: quid sunt Regna sine
justitia, nisi mera latrocinia.

Nil igitur optabilius mundo, nil quibusvis Communitatibus
fructuosius, Judicibus Judiciisq; justis, quibus & à quibus, pro-
na ad malum, vitiata per peccatum natura humana, suo in or-
dine conservetur. Ne lætentur cum malè fecerint, nevè exul-
tent scelera in victoria, ast è contrario trepident mali, læten-
tur boni.

Ast quo recta justaq; Judicia teneamus, scientiâ non mo-
dicâ Jurisq; notitiâ opus est. Juxta illud: *Psalmi 2di*, Erudimini
qui judicatis terram, atque exemplum Salomonis, qui ubi se
Supremum populi Israëlitici Judicem à Deo constitutum vidit,
nil aliud ab eodem postulandum putavit, quām cor docile, ut
habetur: *3tii Reg. Cap. 3. ¶ 9.* Dabis ergo servo tuo cor do-
cile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bo-
num & malum.

Verum quis tantopere mortalium felix, ut sine Libris illo-
rumq; lectione, aliquando evaserit doctus? sane in concussam
veritatem quotidianaq; praxi probatissimam dixerim, communi
aphorismo decantatam: haurit aquam cribro, qui vult esse do-
ctus sine Libro.

Quid

Quidquid sit autem de aliis docilitatibus, scientiis, & do-
ctrinis, quo rem propositi nostri teneamus, nimirūm Juris sive
Legis ac Judicij, certe hæc sine Legis scientia ad amissim im-
plere penitus impossibile puto. Ubi non pro suo videri (quan-
tumvis sagacissimo) ast juxta velle Legis incedendum manet.
Cujus Limites sive dum non attigeris, sive ubi prætergressus fue-
ris, Judex iniqvus justitiamq; obliquans audieris.

His itaque stimulis agitatus, hunc Superiorem Regularem
qua Judicem Tibi Amice Lector delineandum assumpsi, quo il-
lius obtutu sæpius delectatus, ab omni nota immunis reddaris.

Fateor equidem, quod aliundè cunctis Juris, sive Canonici,
sive Regularis gnaris, plusquam optimè notum perspectumq;
scio me nedum non primùm huic rei operam navasse, imò ve-
rò per omnia ultimum, tum pro temporis ratione, tum pro o-
peris exiguitate.

Ast parvo labore, magnum tibi obsequium Amice Lector
præstítisse putavi. Si enim magnis Tomis delectaris, viam Tibi
pando ad illos accedendos. Quod si inveni fidem in oculis tuis,
pauca forte inveneris, quæ hoc *Synopticum Compendium ef-*
fugérunt.

Ars longa, vita brevis. Compendiosa doctrina eo prodest
utiliùs, quo tenetur faillius. Proinde ego ipse per amplos mul-
tosq; Tomos Juris, qua Canonici, Regularis, multis annis diva-
gatus, ne dicam fatigatus Amicum Lectorem medullam Juris
Regulans per Compendia docere necessarium putavi.

Omissis itaq; disputationibus, relictis variis variorum in di-
(b2) ver.

versa abeuntium sensibus, tutissimam præparavi semitam, quæ
incidentes Superiores Regulares quæ Judices, nullo pacto erra-
re possint. Apes hac in re imitatus, quæ ex amplissimis hor-
torum pratorumque latifundiis, vix modicum implent alveare
ab uno homine facile portandum.

Suscipe itaq; Amice Lector, hos verè Amicos conatus me-
os, obsequia tibi præbendi, tuoq; usui inserviendi benevolo
affectu. Et ubi me parcū inveneris, amore tui id factum sci-
to, ne multitudine oppressus forte succumbas. Siq; ubi me to-
tum amore tui effusum inveneris, ama, vale.



PARS



PARS SECUNDA SUPERIOR REGULARIS QUA J U D E X C A P U T I.

Quid & quotuplex sit Judex?
S U M M A R I U M.

1. Quid fit Judex?
2. Judicium institutio in humanis est de Jure Divino.
3. Hinc etiam auctoritas illorum est, ex Jure Divino,
4. Finis autem Judicis & Judicii est innocentes absolvere,
Sontes punire, & controversias dirimere seu decidere.
5. Distinctio Judicis est, in Ordinarium, Delegatum & Ar-
b. trum.



Iudex ex Græco secundūm Aristotelem Lib: Po-
lit: dicitur à judico, quasi jus dico, & judicatio
quæ est justi judicium. Hinc secundūm D. Thom:
Sec: 2. Quæst: 60. Lib: 9. Judicium qui est Actus
Judicis inquantum Judex est, idest inquantum est jus dicens,
est Actus Justitiæ, idest executio Justitiæ. Judex igitur nil
Pars II.

A

alias

C A P U T I.

alias est, quam jus dicens, ut ait Ulpianus Lib: 1. ff. de Jurisdictione Omnes: Judicis vel secundum Claudium Cantiunculum de Officio Judicis Lib: 9. Est Vir bonus Juris dicendi & aequitatis peritus, ad id munera publica Auctoritate vocatus. Judicium vero seu exercitium illius Officii, est actus legitimus, quo mediante Index de causa propria cognoscit, & secundum aequitatem pronuntiat.

2. **J**udicium institutio in humanis est de Jure Divino, prout aperte clareq; deducitur ex illo Deuter: 16. ¶ 8. ubi dicitur: *Judices & Magistros constituies, qui judicent populum justè, nec in alteram partem declinent. & Exod: 18 ¶ 21.* ubi habetur: *Provide de omni Plebe Viros potentes & timentes DEUM, in quibus sit veritas & qui oderint avaritiam, qui judicent populum.*

3. **U**nde etiam (videlicet à Jure Divino) & auctoritas illorum profluxisse dicenda est, prout videre est Deuter: 17 ¶ 12. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, & Decreto Judicis, moriatur homo ille: & Ecclesiastici. 8. ¶ 17.* Non judices contra Judicem, quoniam secundum quod justum est iudicat.

4. **P**orro finis utriusq; tam nimirum Judicis quam Judicii, est ad formam seu in debita forma judicij, hoc est Legis praescriptum, procedendo, vel Reum condemnare, vel insontem absolvere, vel demum controversias dirimere, juxta quod svavissimus Oratorum Cicero, *Orat: pro Cecin:* peroravit: *Omnia enim judicia aut distractendarum Controversiarum, aut puniendorum maleficorum causâ reperta sunt.*

5. **J**am vero distinctio Judicis, passim ab omnibus hac de Jure tractantibus trifaria occurrit, nempe in Judicem Ordinarium, Delegatum, & Arbitrarium, prout videre est ex Jure Tit: de Off: Jud: Ordin: de Officio & Post: Jud: Deleg: de Arbitr: extra: quid vero horum Nomine variat, & quae sub unaquaque Nomenclatura, saltim ad rem nostram opportuna,

De Ordinariis Judicibus.

3

tuna, scituq; necessaria occurunt, sequentibus adnotare non pigebit, pro quo sit.

C A P U T II.

De Judicibus Ordinariis.

S U M M A R I U M.

1. Quid veniat Nomine Judicis Ordinarii?
2. Judices Ordinarii Soeculares apud Romanos ab antiquo usitati.
3. Apostoli, eorūq; Successores Episcopi, ab initio Ecclesiæ. Judices Ordinarii Christi fidelium.

Ibid: Etiam in Causis Civilibus.

Ibid: Hinc Apostolus redarguit Corinthios recurrentes in Causis suis Civilibus ad Judices Sæculares Ethnicos.

4. Caute autem hac potestate utebantur Episcopi sub Ethnicis Imperatoribus.
5. Constantinus Magnus permisit Soecularibus in omnibus Causis Civilibus judicari apud Episcopos.

Ibid: Episcoporumq; Decreta rata haberri voluit acsi ab Imperatoribus fuissent lata.

Ibid: Idem renovavit Arcadius Imperator & Valentinianus.

6. Haec tamen militant omnia, non nisi pro Episcopis.
7. Religiosis vero Jus Judicum & Judicij primò decessit, circa Annum 1148.

Ibid: Quod vel maxime declaravit & stabilivit Gregorius IX.

8. Qui sunt Prælati in Religionibus, quibus ratione Prælaturæ competit Jus Judicum & Judicij?

1. **N**omine Judicis Ordinarii venit intelligi Persona in aliqua dignitate constituta, vi cuius muneris, illi competit, lites dirimere, Reos punire, Insontesq; absolvere, prout refert Gonzales in I. Tit: 29. Cap: 11. N. 8. 14. Citatus

A 2

à Ma-

C A P U T II.

4. à Matheucio in Officiali Curiae Cap. 419. ubi habet: Ordinarius est, qui propter Officium aut dignitatem Jure vel Consuetudine jurisdictionem habet. Vel juxta Ludovicum ab Ameno P. 1. Tit: 1. N. 15. Qui à Lege datus est, juxta alios qui Jurisdictionem non ex speciali aliqua Delegatione, seu Commissione, sed vi suæ dignitatis sive Officii accipiunt.

Unde Judex Ordinarius à Canonistis definiri solet, qui Jurisdictionem habet, quam jure suo, sive jure Ecclesiastice suæ Prælaturæ vel Magistratū quo fungitur exercet. Unde autem hæc lex Judicum & Judicii in Ecclesia Catholica ad Personas Spirituales profluxit, ac demum etiam ad Religiosos, opere pretiū duxi paucis saltim adnotare scribendo qui multa hac in re didici legendo. Cum enim Judex Ordinarius dicatur ille, qui à Lege datus est, Lege positiva opus est, quæ declareret quibus nam Officiis Auctoritas Judicis sit annexa.

2. ET quidem quod attinet Judices Sœculares, hi jam pridem apud Romanos Judices Ordinarii dicti videntur, ad distinctionem illorum qui dantur à Principe extra ordinem, de quibus apud Julium Paulum Lib: 5. Recept: Sentent: Tit: 5. atq; hōc modō accipi Judices Ordinarios apud Amianum, Marcellinum Lib: 16. credit Jonas à Costa, in Commentario ad titulum Decretalium de Officio Judicis Ordinarii Verba Marcellini sunt: Inter Ordinarios Judices Rufinus Primus Præfectus Prætorio & inter Militares Æquitum Magister Arbetio.

3. Q uod verò spectat Personas Spirituales, deducitur ex Primitiva Ecclesia Apostolis, eorumq; Successoribus Episcopis, fuisse Jus Judicium & Judicii, quemadmodum manifeste patet ex Divo Paulo 1. ad Corinth: Cap: 6. N. 3. dicente: Nescitis quia Angelos judicabimus, quanto magis Sœcularia, idg; in fundamento illius Evangelii Matth: 19. N. 28. Ubi à Christo dictum est Apostolis: Sedebitis & Vos super sedes duodecim iudicantes

De Ordinariis Judicibus.

5. cantes duodecim Tribus Israél. Hinc Idem Apostolus graviter redarguendos putavit Corinthios Epistola 1. ad eosdem ob id, quod Causas suas ad Judges Ethnico deducebant dirimendas & decidendas neglegit Episcopis, ubi dicit: Audet aliquis Vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos. Ubi nomine iniquorum intelligit infideles, Nomine autem Sanctorum fideles. Quapropter non dubitavit iisdem Corinthiis exprobrare amplius hoc vitium, inquiens consequenter: Sic non est inter Vos Sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum. Ubi Nomine Sapientis utique intelligi voluit Episcopos.

4. Iacet autem Episcopi in Primitiva quoq; Ecclesia haberint Jus Judicium à DEO sibi datum iudicandi Oves suas, tam in spiritualibus, quam etiam Civilibus, cautè tamen illō utebantur sub Ethnicis Imperatoribus in Causis Civilibus, ne forte decisiones illorum in dubium vocarentur, cum non haberent Jus pro se Civile. Quapropter eo tempore potius tanquam Arbitri decernebant, & inter fideles causas & Controversias exortas iudicabant.

5. PRimus itaq; Constantinus Magnus potestatem Episcoporum iudicandi Sœculares à DEO ipsis attributam Lege humanā eaq; supremā nimis Jmparatoriā, declaravit, ut observat Sozomenus Lib: 1. Hist: Cap: 9. dum litigantibus permisit, ut ad Episcoporum Judicium provocarent, si Magistratus Civiles rejicere vellent, eorum autem sententia rata esset, aliorumq; Sententiis prævaleret, proinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset, utq; res ab Episcopis iudicatas Rectores Provinciarum earumq; Officiales, executioni mandarent, quod ipsum & Arcadius Imperator iterum sua Constitutione renovavit, prout videre est. Lib: 7. Cod: de Episcopali audience. Quemadmodum Valentinianus 3. in Novella 12. Unde Sanctus Leo Pontifex respondens Rustico Episcopo Nat.

6 C A P U T II.

Narbonensi scripsit: Si Poenitens habet causam, quam negligere forte non beat, melius expedit Ecclesiasticum quam forense Judicium.

6. Sed hæc omnia non nisi militant pro Episcopis qui in suis Dioecesibus semper erant Judices Ordinarii, prout refertur Cap. 7. de Officio Ordinarii in 6. Quid Episcopus in tota sua Diœcesi Jurisdictionem Ordinariam noscatur habere.

7. Eligios autem quemadmodum primò Sœculò 12. Exemptionem suam ab Episcoporum jurisdictione naſti sunt, ita primò Annò 1148. eorum Jurisdictione Ordinaria innotuit ex Synodo Rhemensi, ubi habetur: Decernimus ut Laici etiam Ecclesiastica terminare negotia non præsumant, & Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati, de Negotiis Ecclesiasticis, vel de illis quæ spiritualia esse noscantur, Laicorum judicio non disponat hoc est non disceptent. Quæ omnia clarius declaravit Gregorius IX. Cap. Quartum de Officio Ordinarii. Ubi Prælatis Regularium plenum Jus judicandi, corrigendi, & Causas Religiosorum terminandi manere docetur.

8. Qui autem sint hi Prælati Regularium, qui ratione suæ Prælaturæ habent annexam sibi auctoritatem Judicis & Judicii, clarum est horum Prælatorum Nomine intelligi Ministros Generales 1mo. 2do. Provinciales, 3tio. Superiores Locales, ast nonnisi in foro Paterno prout dictum est supra. In Nostro autem Ordine etiam Vicarius Generalis, item Commissarius, ac Procurator Generalis, tum Ordinis, tum Reformatorum, quemadmodum & Commissarius Curiae inter Judices Ordinarios computantur, eo quia hanc jurisdictionem habent à Lege scripta Ordinis, qua illis hujuscemoedi jurisdictione attribuitur, prout hac de re fusè tractat Ludovicus ab Ameno P. 1. Tit. 1. per totum. Ubi etiam Regulam Generalem assignans inquit: Judicium Ordinariorum Auctoritatem sumendam esse ex Lege scripta uniuscujusq; Religionis.

CA-

7 C A P U T III.
De Judicibus Delegatis.
S U M M A R I U M.

1. Quid sit Judex Delegatus?
 2. Per quid Judex Delegatus ab Ordinario distinguitur?
 3. Quo tempore Judicum Delegatorum Praxis innotuit?
 4. Ab illo itaq; tempore petenda, quæ illos concernunt.
- Ibid:* Quid de illis Bonifacius VIII. statuerit?
5. Quid Synodus Tridentina?
 6. Quid de Regularibus in specie hac de re sentiendum?
- Ibid:* Regularium Judices Delegati debent esse ætate maturi, moribus graves, eruditione conspicui.
7. Qui in Religionibus dicuntur habere Personatum?
 8. Idem Personatus extenditur ad Lectores & Prædicatores.
 9. Judicis itaq; Delegati Potestas & Auctoritas totaliter pendet à Delegatione.

Ibid: Si igitur Generalis aut Provincialis Delegato committat negotium alicujus Causæ, una cum Sententia definitiva id poterit.

Ibid: Idq; ex Concessione Summorum Pontificum,

10. Hinc Delegatus ante omnia debet docere de Delegatione.

Ibid: Quo ipsius Auctoritas & Potestas innotescat?

11. Quandonam Delegatus possit subdelegare?
 12. Clarius id illustratur.
 13. Delegatus ad Universalitatem Causarum potest subdelegare. (gantis.)
 14. Jurisdictione Delegati æquiparatur Jurisdictioni Delegati.
- Ibid:* Hinc Delegatus omnia illa potest, quæ posset Delegans si per se ageret.

15.

C A P U T III.

8. Causa debet inchoari in loco delicti.
9. *Ibid:* Reus autem poterit adtrahi ad Tribunal.
10. Jurisdictio & duratio Delegati pariter sumenda est vel à Delegatione, vel à duratione Delegantis.
11. *Ibid:* Hinc cessante Jurisdatore, Delegationis cessat Delegatio.
12. *Ibid:* Nisi forte Delegatio facta sit ad Universitatem Causarum.
13. Vel res non maneat integra.
14. Ubi autem manet res integra per oppositum est sentendum.
15. Quid veniat Nomine rei Integræ, & non Integræ?
16. Quid in Nostro Ordine hac in re sit speciale?
17. Quæ præcedentia debeatur Delegatis?
18. Ast hæc intelligi debent de Delegato ad Universalitatem Causarum, sed quid de Delegatis ad Causas particulares?
19. **J**udex Delegatus est qui Jurisdictionem & cognitionem Causæ habet ex Delegatione seu mandato alterius, eamq; Nomine, sive vice Delegantis, vel Mandantis exercet. Unde dixit jam pridem Papinianus Juris Consultus in Lib: 1. §. 1. ff. de Officio ejus cui Mun: *Jurisd:* Qui mandatam Jurisdictionem suscipit proprium nihil habet, sed ejus qui mandavit jurisdictione utitur. Et Ulpianus in Lib: 16. ff. de Jurisdictione Omnium Judicium: Js cui mandata jurisdictione est, fungitur vice ejus, qui mandavit, non suâ.
20. **U**nde Judex Delegatus distinguitur ab Ordinario' per hoc, quòd Ordinarius Judex habet jurisdictionem propriam, eamq; suo Nomine proprio exercet. Delegatus vero quidquid possideat vel agat, possidet nonnisi, & agit Nomine Alterius cuius vices supplet, cujusq; Personam representat.
21. **H**orum autem Judicum Delegatorum Jurisdictio & Praxis in forum Ecclesiasticum intrasse videtur, ac praedicari

De Judicibus Delegatis.

10. **E**cclari circa Scœcum 12. & 13. Quod vel inde vero simile videtur, quòd nec sub titulo de Rescriptis, neq; sub titulo de Officio & Potestate Judicis Delegati in Decretalibus Gregorii IX. ulla reperiatur Decretalis, quæ habeat Auctorem antiquiorem Alexandro III. qui sub fine scœculi 12. Pontificatum gessit, quando ipsa Tribunalia Ecclesiastica ad instar Tribunalium Sæcularium regi ceperant.

4. **U**Nde etiam ab iisdem temporibus, primo petenda sunt, quæ ipsorum sunt. Qua in re Bonifacius VIII. in Capite Statutum 11. de Rescriptis in 6. sancivit, ut nullis nisi dignitate præditis aut Personatum obtainentibus seu Ecclesiastum Cathedralium Canonicis Causæ Autoritate Literarum Sedis Apostolice vel Legatorum ejus, de cetero committantur.

5. **S**YNODUS autem Tridentina Sess: 25. Cap: 10. de Reformat: Setiam ex Dignitatibus & Personatibus requirit delectum. Quatenus nimirum non unicuique Dignitati, aut Personatu indiscernitam Delegationes committantur, cujus rationes sive motiva videantur à Curiosis in eodem Concilio, aut Ludovico ab Ameno P. 1. Tit. 1. ego autem taceo, prolixitati & offensioni parcens.

6. **Q**Uod autem celare nequeo illud est, quòd in Religionibus Delegati debent habere easdem qualitates quæ desiderantur ab Ordinariis. **P**rimo itaq; debent esse ætate maturi, ut ex rerum experientia, possint se prudenter gerere, nec sint in judicando præcipites, ætas enim provedata & experientia causat maturitatem in agendo, juxta illud Pòétæ: à Senio nomen ritè senitus habet, hoc est Judicium. **S**ecundo, Mores graves ne nimia familiaritate cum Reis conversentur. atq; ab illis contemnuntur, cum nimia familiaritas variat contemptum. **T**ertio, eruditio conspicui, ne in Substantialibus Judicij turpiter errent, & ita vicietur Processus, tales autem supponuntur esse Patres Ordinis vel Provinciæ, ex eo, quòd

Pars II.

B

ad talia

ad talia munera non debeant assumi nisi scientia, moribus, aetate conspicui.

7. IN Religionibus itaq; dicuntur habere Personatum, qui secundum unam *Glossam in Cap: Consuetudinem, in verbo Consuetudinem de Consuetudine. Lib: 6.* importat aliquam praeeminentiam, ut illorum qui in Capitulo & alibi alias praecedunt, non tamen super illos habent jurisdictionem, quam utiq; habent praedicti, qui juxta dispositionem Ordinum alias praecedunt.

8. IDem Personatus adtribuitur quoq; Lectoribus Sacrae Theologiae & Prædicatoribus sive Officio functis, sive Actualibus, omnes enim isti Præcedentiam habent aliquam juxta uniuscujusq; Ordinis præscriptum præ cæteris ex familia.

9. EX his igitur quæ dicta sunt supra, patet Judicis Delegati Auctoritatem, & potestatem, pendere à Delegatione, seu instrumento delegationis, dato Delegato, à Judge Ordinario. Hinc in Religionibus, si Judici Ordinario (puta Superiori Generali vel Provinciali) placeret committere Judici Delegato Causam etiam criminalem usq; ad Sententiam definitam inclusivè, id facere possent. Et licet stando Iuri Communi, Causæ criminales meri & mixti imperii non possunt delegari, ut tradunt Doctores. in *L. de Offi: ei Man: est Jurisd:* tamen ex decisione Summorum Pontificum, & ex generali hodierna consuetudine, omnes causæ generaliter & indiscriminatim ac indistincte ab Ordinariis committi possunt Delegatis, prout testatur Julius Clarius §. final. Quæst: 41. in Principio, vide Ludovicum ab Ameno Pag: 1. Tit: 1. Quæst: 12.

10. Porro Delegatus antequam incipiat prosequi quæ sibi ab Ordinario fuerint commissa, debet prius docere sua Delegatione faciendo constare quod sit legitime delegatus,

tus, & quanta cum potestate missus. Cum enim ut jam dictum est, Auctoritas & Potestas Delegati tota pendeat à delegatione & arbitrio Ordinarii delegantis, hæc primo (hoc est instrumentum delegationis) innotescere debet omnibus, ut sciatur an limitata vel ne habeatur.

11. SI autem queratur an Delegatus possit alium pro se delegare, seu subsistere, seu ut genuine loquar subdelegare, pro resolutione hujus difficultatis, sciendum est dupliciter posse considerari Delegatos, vel nimirum ut Delegatus ad universitatem Causarum in utroq; foro, tam Paterno, quam Juridico, prout sunt Commissarii Visitatores Generales, missi ad visitandas Provincias, vel si Provincialis mittat quempia ad aliquem Conventum singularem, cum ampla potestate in utroq; foro inquirendi & formandi Processus usq; ad Sententiam definitivam, sive inclusivè, sive exclusivè, talis enim Delegatus à Provinciali etiam diceretur missus ad universitatem Causarum. Ad hoc enim ut aliquis dicatur Delegatus ad universitatem Causarum, non est necesse, quod sibi committantur Causæ totius Provinciae, sed sufficiunt Causæ unus Conventus, quia ut dicit Barth: in *Extravag: ad reprimendam rem Communitas.* Communitas quæ idem est quod Universitas, tam convenit Villæ aut Castro sicut Provinciae. Vel demum est Delegatus ad aliquam Causam, vel Causas particulares in delegatione specificatas.

12. QUæ distinctione Delegatorum, quo clarus innotescat advertendum est, illam desumendam esse ex instrumento delegationis, si enim instrumentum delegationis sit in terminis generalibus & universalibus sine ulla specifica expressione alicujus, vel aliquarum Causarum, ut passim sit in Delegationibus Visitatorum Generalium, tunc Delegatus censendus & habendus est pro Delegato ad universitatem Causarum. Si vero in delegatione exprimatur delictum, vel delicta

super quibus inquirere debeat Delegatus, tunc Delegatus non erit ad universitatem Causarum, sed ad particularem. Dixi delictum vel delicta, potest enim contingere, quod in aliquo Conventu tria delicta à tribus commissa reperiantur, de quibus committatur inquisitio cuiquam ad investigandum de illis eorumq; Auctoribus. In quo casu si in Instrumento delegationis talia delicta specificata maneant, Delegatus non erit habendus pro deputato ad universitatem Causarum, sed ad causas particulares, quod si non fuerint specificata & in terminis generalibus data Delegatio, censendus erit pro Delegato ad universitatem Causarum.

13. **S**TANTE itaq; hac distinctione Delegati, dico quod Delegatus ad universalitatem Causarum habet potestatem subdelegandi in casu infirmitatis, vel alterius gravissimi impedimenti, potestq; subdelegare alteri Causam aliquam particularem, prout observatum est, tum de Jure tum de Consuetudine, ita *Barbosa* in Cap: cum Causam n: 5. de Appellat: *Sanh: de Mat: Lib: 7: Diff: 3 f: n: 12: apud Passerinum Trib: Regul: Quæst: 2: n: 14:* Jam vero Delegatus ad Causam particularem non potest alium subdelegare. Ratio est: quia in tali casu supponitur à Provinciali electa industria Personæ ad cognoscendam talem causam, & illi soli annexa cognitio illius, nisi forte in Instrumento delegationis foret annexa potestas in Causa infirmitatis alium subdelegandi, tunc enim Delegatus ad Causam particularem posset æquè subdelegare, quemadmodum Delegatus ad universitatem Causarum. Quia ex Regula generali id nonnisi potest Delegatus, quod sibi delegatione conceditur, ut dicit *Text: Cap: non districte §. Licit autem Cap: Quamvis, Cap: final. de Provocat: in 6. & Glossa notat in Cap: is cui in §. nisi forma inven:*

14. **Q**UOD attinet jurisdictionem Delegati hæc est tanta, quanta

quanta est Ordinarii delegantis, Delegatus enim quidquid agit, nihil agit Auctoritate propria, sed Ordinarii delegantis, hinc in Instrumentis delegationis passim adjungitur omnes vices Nostras, Nostramq; Auctoritatem tibi (puta Delegato) impartientes, prout videre erit in formulariis suo loco. Unde quid quid defertur vel subtrahitur Delegato, defertur vel subtrahitur Deleganti. Cum igitur cui est Causa aliqua commissa, putantur esse commissa illa omnia sine quibus dicta Causa expediri nequit, proinde respectu horum omnium quæ ad Causam spectant, Delegatus communiter habet plenam jurisdictionem, ut dicit *Text: E. 2. ubi DD. de Jus: Omn: Judic: Ideo Judex Delegatus super uno etiam negotio cognoscit de omnibus dependentibus, accidentibus, annexis, & connexis, sine quibus Causa commissa nequit commode expediri ut dicit Glossa in Cap: cum dilect: de Arbit: nisi aliquid adnexum esset Papæ reservatum, aut Alteri Tribunali [privative quo ad Delegatum] subjectum, ut obser: vat Felinus Cap: Præterea de Off: Delegat.* Connexa autem vel incidentia in Causa duplicitè possunt se habere, nempe vel prout tangunt Jurisdictionem, vel prout ordinantur ad cognitionem delicti, sive Causæ commissæ. Tangentia Jurisdictionem sunt, si Superior Localis non suscipiat Delegatum vel non dat auxilia necessaria ad visitandum corpus delicti, vel subordinationibus impedit Testes ne testificantur, vel si Reus aut Testis citatus non vult comparere, vel demum si Superior Localis Testē necessarium mittit extra Conventū, ne deponat testimonium, haec omnia dicuntur tangentia Jurisdictionem, eo quia illam impediunt in exacta Causæ cognitione. Tangentia autem Causam sive delictum, sunt, quæ vel illi delicto de quo Causa instituitur, occasionem dederant, vel ex illo nata sunt, vel quocunq; modo cum eodem sunt connecta, vel juxta Ludovicum ab Ameno, quæ vel antecedunt,

vel

CAPIT. III.

¹⁴ vel subsequuntur, vel sunt simul cū delicto. Horū itaq; omni-
um cognitio pertinet ad Delegatum, Talia enim ut plurimū
sunt aggravantia, & ideo sine illis Causa ritē terminari non
posset, plura hac in re desideranti subministrabit *Amenus P.*
1. Tit: 1. Quæst: 14. Hinc si Delegato visum fuerit etiam ex
quocunq; alio Conventu ejusdem Provinciæ necessarium fo-
re testimonium alicujas Religiosi, poterit illum ad se vocare,
citare, ac interrogare, ad juramentum cogere, & omnia quæ-
cunq; status Causæ exigit exercere. Neq; obstat quod in
Jure *Cap: Statutum §. Cum verbo de Reformat:* determinatur,
quòd Delegatus non potest trahere ad suum Tribunal Reum
ultra unam dietam, licet sit Delegatus Papæ, & perconse-
quens, quòd à fortiori delegatus ab inferiori Papa, puta à
Generali vel Provinciali, quòd non possit trahere Testem vel
peritum ultra unam dietam, & sic non poterit vocare ex
omnibus Conventibus Provinciæ, sed non nisi ex illis, qui non
distant ultra unam dietam, hoc est unius diei habentibus iter,
nam Decretalis illa disponit hoc, quando Delegatus extra
Diæcesim Rei exercet judicium, non vero si in eadem Diæcesi
& Actor & Reus cohabitent. Ergo à pari cum Provincia sit
ad instar Diæcessis, poterit Delegatus ex quocunq; Conventu
vocare necessarios ad Causæ cognitionem.

15. *Causa autem inchoari debet* (ut communiter decidunt
Doctores) in loco delicti, ubi inquisitio est facienda,
quia ibi debet fieri Causa, ubi factum est delictum *in juri. sunt ff. de Exchor. Crim.* Et Judex debet imitari D E U M Judicem
cujus vices agit, qui ait: *Clanor Sodomorum & Gomeræ*
venit ad me, descendam & video. Sed non sic debet adire Re-
um ad ipsum constituendum, nisi forte sit suspectus de fuga,
vel in detentione, vel aliam ob causam nequeat ex Conven-
tu in quo degit exire. Quando vero Reus est in libertate,
debet Judex Reum trahere ad suum Tribunal, non ipse trahi
à Reo

De Judicibus Delegatis.

¹⁵

à Reo, hoc enim esset indecorum Officio quod gerit, & tunc
poterit Reum à quocunq; Conventu vocare & citare.

16. *C*irca durationem jurisdictionis Delegati hæc pauca fa-
tis erit innuere. Quod dum hæc quemadmodum &
cætera omnia quæcunq; sunt Delegati censenda, sint Ordinarii
delegantis. Igitur ab instrumento delegationis primò principa-
liter mensuranda sunt. Secundariò verò ab Ordinarii duratio-
ne, extincto enim principali, extingui concomititia necesse est,
atq; ideo cessante Juris datore delegationis, cessare oportet de-
legatione. Tertiò à Lege positiva Religionum. Si igitur contin-
gat Ordinarii potestate expletam (puta vel per mortem ut est
in advitalitiis, vel intra terminū præfixum suæ jurisdictionis, ut
est in Ordinarii triennalibus, sive sexennialibus, vel per ex-
pirationem Officii puta triennii aut sexennii Causa nondum
terminata, si nimirum ob aliquas circumstantias fuerit ultra
spem protracta, dubitari potest quid simili in Causa agendum
foret, an nimirum ulterius procedendum, an vero ab opere
cepto desistendum. Pro cuius difficultatis resolutione, dico
dupliciter posse considerari Delegatum, sive ad universalita-
tem Causarum, ut sunt Visitatores Generales, sive ad aliquam
Causam particularem, ut sunt Commissarii ad inquirendum
de aliquo delicto, nimirum vel ut est Delegatus manente re
integra, vel ut est Delegatus remanente non integra. No-
mine primi intelligitur Delegatus seu Commissarius, qui nihil
inceperat exercere quæ sui sunt munera & Delegationis
adhuc Nominè secundi venit Delegatus, qui jam processit &
inchoavit sibi commissa tractare.

17. *P*rämissa itaq; hac distinctione constans est Juris & Do-
ctorum sensus, quòd manente re integra, cessat ex plano
jurisdictione Delegati, sive ad universalitatem Causarum, sive
ad Causam particularem per mortem vel dispositionem, sive
terminationem Officii Ordinarii delegantis, prout habetur.

Cap:

Cap: final: de Offi: Deleg: 6. C. Gratū: Cap: Licet: Extra eo & alibi.
Et ratio evidens est, quia quamvis Jurisdictio à tempore re-
ceptionis literarum Delegationis imprimatur, non tamen est
effectualiter radicata in Delegato sive sub Delegato, donec ea
uti ceperit ut expresse habetur Cap. Quamvis de Off: Ju-
risd: Deleg: Lib: 6. per hæc verba Jurisdictio, ex quo ipse usus
non extitit, non censeatur in eam efficaciter transivisse, & ideo,
ante illius usum pendet in sui duratione à Delegantis jurisdictione,
qua desinente per mortem vel terminationem Officii
Ordinarii non amplius influere poterit in Delegatum.

18. *E*X his autem quæ dicta sunt de Delegato manente re
 Integra, manet resolutio de Delegatis re manente non
 integra. Si enim ex dispositione Juris re integra, ces-
 sat in Delegato jurisdictio. Ergo re non integra, hoc est Causa
 jam incepta, non cessabit per argumentum à contrario quod
 in Jure est fortissimum, ut dicit Abbas in *Ca: Oblatæ n. 8. de*
Apell: hoc est communiter receptum, ut pluribus probat *San-*
chez de Matrimon: Dis: 28. n. 50. apud Pesserin: in Cap: si De-
legatus n. 3. de Off: Deleg: L. 16.

19. *P*otro res non integra tunc dicitur, quando Delegatus
 aliquid facit, quod fieri non potest absque jurisdictione,
 ita ut actus ille dicatur jurisdictionis privative, quo ad
 alios, & tales sunt actus respectu Delegati ad universalita-
 tem Causarum puta Commissarii Visitatoris Generalis sedere
 in publico Capitulo in Loco Prælati, sermonem habere ad
 Fratres post Legionem Literarum Patentium. Quod verò
 attinet Delegatum ad aliquam Causam particularem, horum
 jurisdictione incipit à creatione Notarii, si igitur Delegatus jam
 Notarium creavit, qui sibi inservire debeat pro Actuario
 in Causa ad quam delegatus est, & formam servavit quam
 suo loco in formulatio præscribemus, incepit uti sua jurisdictione,
 & res non est amplius integra, etenim creatio Notarii
 supponit jurisdictionem in sic creante.

20. *P*Ro horum autem complemento quæ de duratione Au-
 toritatis Delegati desiderantur, advertendum est in
 Nostro Ordine, quod cum Jurisdictio Commissarii Visitato-
 ris Generalis in Provinciis visitandis, sit limitata ad tres Men-
 ses ante Celebrationem Capituli & viginti dies numerandos
 ab ipsius Celebratione, si contingat prolongari Capitulum
 ultra tres Menses, & interim Generalis moriatur, exspiraret
 Jurisdictio Commissarii nisi sibi prorogaretur à Papa vel Pro-
 tector, vel Sacra Congregatione, eo quia Primus Discretus
 Ordinis illius Familiæ nullam habet jurisdictionem, nisi ad con-
 vocandos Electores pro tempore præscripto & præsidendum
 Electioni Vicarii Generalis.

21. *J*Am ad præcedentiam debitam Delegatis veniamus, ast
 & hæc pariter commensurari debet Auctoritati mitten-
 tis seu Delegantis, quæ igitur deberetur præcedentia Ordinario
 si præsens foret, eadem debetur & Delegato, locum
 & vices ejus tenenti. Ex eo enim quod Delegatus æquipa-
 ratur Ordinario in omnibus, & per omnia, eandem præce-
 dentiam habere debet quam habuisset Ordinarius si venisset.

22. *A*St hoc intelligendum est de Delegatis ad universali-
 tam Causarum in utroq; foro, tam nimirum Paterno,
 quam Judiciali, tum in Capite, tum in Membris, in quo
 casu similes Delegati præcedere debent omnes suæ Jurisdi-
 ctioni Commissos. Hinc si casu quo, Ordinarius eodem lo-
 ci accedat, Delegati manet præcedentia integra super omnes
 quos ante adventum ejusdem præcedebat, salvâ semper Or-
 dinario Deleganti primâ reverentiâ omniq; non dico præ-
 cedentiâ, sed & præcellentia quemadmodum latè deducit
Ludovicus ab Ameno P. 1. Tit: 1. Quest: 28. Quod si Dele-
 gatus missis sit ad cognoscendum delictum alicujus Personæ
 particularis Conventus singularis, protunc Superiorem Loci
 non debet præcedere. Eò quia ante illos non nisi præceden-
 Pars II.

tia debetur Delegato, super quos habet sibi commissam potestatem jurisdictionis, cùm igitur non habet sibi demandatam jurisdictionem in Loci Superiori, cæterosq; qui ibidem inveniuntur (cæteris paribus idest temota Delegatione se honoratores) hinc eos minime præcedere poterit, sed contentus esse debet sibi aliunde debitâ præcedentiâ paulo autem amplius (propter muneris sui distinctionem) honoratori, in reliquo autem subsunt Paternæ Superioris Localis correctioni, utpote ex una parte nihil à talibus Delegatis dependent: ex altera verò parte verorum Superiorum in nullo impedita Auctoritate gaudentium.

C A P U T IV

De Arbitris.

S U M M A R I U M.

1. Arbitr̄ bifarie sumitur.
2. Arbitr̄ propriè quid?
3. Arbitri debent habere eadēm conditiones quas Judex Ordinarius.
4. Omnis illorum Auctoritas pendet à Compromisso.
5. Ab illis non deberet appellari.

Ibidem Absolute tamen loquendo potest.

6. Hinc sanè est intelligenda Regula Juris de Arbitris.

1. **A**rbiter aliquando sumitur pro Judice Ordinario, ut in Lib: 6. Cod: de postulando, & quandoq; pro eo qui de Jure elegitur, dum Judex recusatur, ex causa suspicione, quem Doctores communiter vocant Arbitrum Juris. de quo infra Tit: de Apellatione & Recusatione. Passim verò accipitur pro eo, qui elegitur à Patribus ex Compromisso Conventionali. Hinc etiam Arbitri subinde vocantur Compromissarii, eo quod litigantes in eos compromittunt. Recep-

cipiunt namq; & promittunt invicem litigantes stare sententiae Arbitri communis, hoc est mutuo sensu electi, qui & recipit se pronuntiatur, & inde dicuntur Recepti, & in hac significatione sumitur Arbiter sub Titulo Decretalium de Arbitris, uti & Titulo Codicis de Receptis, & Digestorum de Receptis qui Arbitrium receperunt.

2. **A**rbiter itaq; in hac significatione est Persona assumpta libere & spontaneè a litigantibus ex mutuo Partium consensu, ad lites terminandas, prout docent Canonistæ ut est: Archidiaco: Andreae Domin: in Cap: ab Arbitris de Off: Deleg: in 6. Partium autem conventio, seu confitulatio qua promittunt utrinquè, se velle stare decisioni electi Arbitri dicitur Compromissum, uti rectè notat Rebus in Tractatu de Arbitris Gloss: 2. inquiens. Compromissum est illa simultanea Partium de stando Arbitrio promissa.

3. **C**um itaq; Arbitri admodum Judicum Causas cognoscere debeant, & easdem terminare, hinc de Jure Communi debent habere easdem conditions, quas habere tenentur Judices Ordinarii & Delegati.

4. **Q**uod attinet Auctoritatem Arbitrorum, cùm hi Auctoritatem judicandi non habeant à jure, sed ex Partium duntaxat Conventione & Compromisso, ideo omnis eorum auctoritas ex Compromisso desumenda, illiq; commensuranda manet. Unde ait Juris Consultus in Lib: 32. § 15. de Receptis qui Arbitrium receperunt de Off: Arbitri tractantibus, sciendum est, omnem tractum ex ipso Compromisso sumendum, nec enim aliud illi licebit, quam quod ibi ut efficere possit cautum est, non ergo quodlibet statuere Arbitri poterit, nec in re qualibet, nisi qua de re Compromissum est, & quatenus Compromissum est.

5. **P**otro hic mutuus Partium litigantium consensus de stando decisioni Arbitrorum, eorum Sententiis addit robur firmatis, ut ab illorum Sententiis appellari non debeat,

prout habetur in Jure, Lib: 1. Tit: de Receptis Arbitris. Hinc communi calculo concludunt *Interpretes* de Jure Civili, à Sententia Arbitri ex libero Partium consensu assumpto, apel- lari non posse, sed ejus Sententiae omnino standum esse, quod & scopo introductorum Arbitrorum omnino consonum apparet, nimirum ut ope Arbitrorum lites citius ac minoribus expensis terminentur, & à forensi strepitu, tandem ipsi liti- gantes eximantur, & omnis juriis finis imponatur. Unde deplorat Fuldenus, quòd consuetudo id perperam mutaverit. Simpliciter itaq; & absolute loquendo, ab Arbitris quoq; appellatio datur in Casu manifesti gravaminis Sententiae Ul- timatae.

Hinc illud quoq; Legis dicentis, quòd semel facta electio. Hne Arbitrorum non possit ab illa recedi, sane puto in- telligendum. Si nimirum post electionem Arbitrorum nulla de novo supervenit legitima causa illos retractandi, quod si causa sit legitima & de novo orta, utiq; possit retractari elec- tio unius Arbitri, & in ejus locum aliis nominari ab illo qui recessit à prima electione, prout ipsa ratio syadet, cui acce- dit Jus scriptum L. licet autem ff. de Recept: Arbitri.

C A P U T V.

Quæ in Judicibus desiderantur?

S U M M A R I U M.

1. Judicibus præprimis scientia est necessaria.
 2. Unde ignari suscipientes munera, peccant mortaliter.
 3. In Judge item desideratur Prudentia.
 4. Hæc Virtus quantopere necessaria? (mi.)
 5. In Judge demum requiritur fortitudo Mentis & Ani- mæ.
- M**ulta quidem sunt quæ in Judicibus desideranda occur- runt, quæq; illis summopere sunt necessaria, quo veros & bonos

& bonos Judices agant, ait Synopticum Compendium, o- maibus recitandis parcendum syadet. Jgitur nonnisi præ- primis necessaria edocentur hoc in parvo Opere. Ne forte simul proposita & non bene explanata Lectoris confundant mentem. Primo igitur & principaliter & sine quo nihil Ju- dicii cuicunq; sive Ordinario, sive Delegato, sive Arbitro scientia est necessaria juxta illud Psalmographi Psal: 2. §. 10. Erudimini qui judicatis terram; & Legem Communem multis Capitibus, uti Cap: fin: 2. Quæst: 2. Cap: 1. Disp: 6. de Pœnit: Cap: ex literis de Consangu: & Affinit: Verum tamen est quòd non requiritur ut sit peritissimus, sed sufficit quòd habeat scientiam competentem, cum ordinis judicarii essentia- lis tum Legum ad quarum normam & præscriptum procede- re & judicare debeat: Cap: cum Nobis de Elect: Cap: Cum in cunctis.

Proinde qui publica officia assumit exercenda cum illa ignorantia ut verò simile sit per illorum exercitia, ali- quando notabile damnum, aut Reipublicæ, aut privatis Per- sonis eventurum, peccat mortaliter argumento quarumdam Legum, uti Cap: final: junct: Gloss: in Verb: Imperitia de inju- ria. & Damn: Instit: de Leg: Aquil: §. Imperitia Lib: 4. à quo quidem peccato non excusat damno non subsecutō, sed illō manet innodatus propter solam appetentiam Officii illius quod recte propter ignorantiam Juris & Legis administrare non potest, quemadmodum ex multis Juris locis probat Na- var: in Cap: inter Verba 11. Quæst: 3. Concl: 18. Cap: non est §. Quisquis 1. Quæst: 1. Cap: non est de Reg: Jur: in 6. Ubi ad- dit non posse tales absolvī nisi illis renunciet, vel habeat ani- mum renunciandi, & hoc ratione periculi alios damnifican- di cui se exponit prout dicit Scriptura Eccl: 3. §. 27. Qui amat periculum peribit in illo.

Similiter in Judge desideratur Prudentia sive discretio, quæ

quæ est juxta D. Bernardum Serm: 49. in Cantic: Non tam Virtus quam moderatrix & Auriga Virtutum, Ordinatrix affectuum, & morum doctrinæ. Non enim omnia quæ Leges iubent, universiter & in singulis Casibus exequi oportet, sed in aliquibus moderandus quandoq;, quandoq; verò augendus eorum rigor. Expedit enim quandoq; Reipublicæ crimina dissimilare, & in aliud tempus punienda differre, quia vel majus damnum Reipublicæ ex capta de Sonte vindicta, eventurum sperat, vel quia fructuosius ex secreta Correctione quam ex publica punitione Reus emendatur.

4. De Prudentiæ tantopere in Judicibus necessariæ virtutis


partes potentiales sunt, juxta D. Thom: 22. Quæst: 51. *Eubulia, Synesis, & Gnomis.* Prima est habitus recte consultandi in dubiis. Secunda est recte judicandi quid magis expeditat ex consultatis, & hoc ex Communi fonte principiorum practicorum nempe rerum naturalium & positivarum. Tertia verò est habitus recte judicandi ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum Legis, sed tamen juxta mentem Legislatoris. Tria hæc opinio Judici sunt necessaria in inquirendo de corpore delicti, Testibus examinandis, Reo constituendo, interrogando, & torquendo. Cum enim multa arbitrio Judicum committantur, prudentiæ magnâ opus est ipsis, ut suum Judex arbitrium ad præscriptum verborum Legis inclinet interdum, aliquando verò ad sensum Legislatoris altiorem, qui ad publicam utilitatem Leges instituit, illud moderetur ad Communia, principia practica derelinquit, ut secundum altiora determinet. Certe David Joab homicidam punire debebat ob necem à se illatam Amasæ & Abner juxta principia communia Legis, sed judicando secundum principia altiora puta ne Regnum ex punitione Viri potentissimi turbaretur, punitionem distulit, usq; ad ipsius senium, quando nimirum ejus decreverat potentia, & Regno optime

optime firmato, illius mortem Salomoni Filio exequendam commisit, quemadmodum & Semei maledicentis sibi dum fugeret à facie Adoniz Filii Haggith & sui. Quibus edocitus Salomon nil aliud à DEO postulavit, præter prudentiam & discretionem, quo populum sibi commissum rectè judicare posset, ut habetur Reg: 3. Cap. 3. N. 9. *Dabis servo tuo cor docile, ut Populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum.* Ex cuius prudentiæ defectu multa mala oriri posse, & passim nasci indubitanter cognovit idem Salomon dum dicit: Proverb: Cap: 28. N. 16. *Dux indigens prudentiâ multos per calumniam opprimet.*

5. De ultimum indiget Judex fortitudine mentis & animi, Ane potentiam Reorum eorumque fautorum / prout contingere potest / metuat, quo strenue suum Officium exerceat, unde illud Eccl: Cap. 7. v. 6, *Noli querere fieri Judex, nisi valeas virtute (puta fortitudine) irrumperem iniquitatem.* Timor autem quo primo peccatur contra fortitudinem juxta D. Thom. 22. Quæst. 125. à Judice ut plurimum circa duos versatur, Primo circa malum quod imminere speratur, Secundo circa bonum quo privari metuitur. Accidit primum quando Reus potens est, vel vi nativa percutere solitus, vel auothoritate aut adhærentia alicujus potentis, quod quidē in Claustris Regularibus vix practicatur, & huic facile obvenire potest Judex Regularis arctando similem qui minas intentavit, aut jaçavit, vel insidias struxit contra Judicem, quemadmodum & alias Personas judicio necessarias si fuerint Regulares, cæteros autem foras mittendo. Hoc autem sæpe potest evenire, ut Reus habeat adhærentiam & dependentiam à Magnatibus foeculi, vel Primis in Religione, qui volunt noxiū impunitum fore, tunc enim metuere potest Judex ab illis persecutionem, ubi illi omnibus conatibus contra Jus & fas, nituntur Superiori imponere processatum esse Vi-

rum bonum, accusationem prodiisse ex malignitate æmularum, Judicem non ex zelo, sed ex privata similitate motum ad procedendum. In quo casu si Judex sit destitutus virtute fortitudinis (quam clarius explicavimus Parte priori, ubi de Judice qua Patre disserebatur) si metuat potentium iniuriam, atq; fundamentalem persecutionem, justitiae rectitudinem obliquabit, nec quemadmodum deberet, ita munus suum exercebit. Pariter etiam timere potest amore speratorum bonorum, si enim à Magnate Reum protegente, sperat Judex ad dignitates promoveri, scit illas se non posse consequi, si contra Magnatis mentem & desiderium, Rei crima legitime probabit, & ad Legibus præscriptam poenam damnabit. Hinc timens privari desideratis, obnubilat veritatem criminum, Accusatorem reprimit, Testes corrumpit, vel omittit citandos, qui gnari Causæ putantur, eorum delicta mutilat, & tandem malam Causam larvâ boni adornatam producit videndam. Ast nequè contra munera Judici oblata minori ipse indiget fortitudine ad resistendum. Potentissima siquidem hæc est Machina ad vertendam Judicium integratam, & pauci sunt qui resistant, unde dicebat Ier. Cap: 1. v. 24. *Principes tui: altera litera legit: Judices tui, infideles, Socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributions.* Accedit, si dicti potentes Protectores Rei, etiam processum inhabilitare minitantur, certè tunc & magna fortitudine & Prudentia & Legis scientia opus erit, quemadmodum & semper opus esse his omnibus, hucusq; docuimus, harumq; virtutum omnimodam necessitatem paucis licet, abunde tamen ostendimus.

CA:



C A P U T VI.

Qui in Religionibus ab intrinsecò Judices esse non possunt?

S U M M A R I U M.

1. Superior Regularium idem est ac Judex.
- Ibidem* Unde qui Judices esse non possunt, nequeunt similiter esse Superiores.
2. Naturaliter inhabiles ad Superioratum, sunt laborantes aliquo defectu corporis & Animi.
3. Tales autem sunt Valetudinarii.
4. Nec non Leprosi.
5. Quemadmodum & lue Venerea infecti.
6. Similiter Phtisici.
7. Item perpetuò Podagrâ laborantes.
8. Demum Paralitici.
9. Morbo Caduco laborantes.
10. Maniaci, Lunatici, Furiosi.
11. Energumeni.
12. Fatui, Stolidi, Stulti, & Amentes.
13. Habentes notabilem deformitatem in statura.
14. Carentes naso, oculô altero, manu, vel digitis.
15. Claudi.
16. Cæci sive à natura, sive à Casu.
17. Surdi & Muti.
18. Hermaphroditi.
19. Irregularis ex delicto.
20. Privati Jure Suffragiorum.
21. Publici Aleatores & Ebriosi.

Pars II.

D

- 22. Maculati circa Fidem.
- 23. Bigami.
- 24. Illegitimi.
- 25. Minores aetate.
- 26. Infames.

27. Excommunicati, Suspensi, & Interdicti.

1. **Q**uia ut Prima Parte dictum est, Officiales seu Superiores Ordinum censentur Judices Ordinarii, hinc idem est querere, qui Judices esse non possunt ac investigare, quod ab Officiis Ordinum habentibus annexum Jus Judicij arcendi sunt, & quia Judices quoque Delegati & Arbitri easdem habere debeant conditions, hinc quidquid de his videlicet Ordinarii dicetur, intelligendum quoque veniat de Delegatis & Arbitris seu Arbitriis aut Compromissariis. Quae autem sunt hujusmodi Officia, quae sibi habent annexam Auctoritatem & Potestatem Judicum in Judiciis, ex quo ostendimus Cap: 2. hujus Partis, hic minime recapitulanda censuimus, cum hic nonnisi tractandum occurrat de his, quae inhabilitant ad judicandum, & per consequens etiam impediunt consecutionem Praelature.

2. Naturaliter itaque inhabiles sunt ad Praelaturam, aliquo defecu corporis vel animi laborantes, ratione cuius, munus Praelaturae exercere non possunt, prout docent multi Canones, ut Cap: Nisi. §. Alia verò de Renunt: Cap. 2. de Cler: Egrot: Cap: Exposuisti: & presertim Concil: Trident: Seff: 22. de Refor: Cap: 4. Ubi ait: In posterum non fiat provisio nisi iis, qui aetatem & ceteras habilitates integre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio. Puta electio, vel designatio, qui autem est impotens ad exercendum Officium, saltim cum debita decentia, non habet habilitates ad illud requisitas. Et licet Concilium ibi loquatur de Dignitatibus & Personatibus, quae sunt in Cathedralibus, tamen debet intelligi de illis, quae sub iisdem Nomi-

De his qui in Relig: ab intrin: Jud: esse non possunt. 27.

Nominibus veniunt apud Regulares, ut docet Paulus Comitol: Respon: Moral: Lib: 6. & hoc confirmatur per Decreta Clemensis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. pro Refor: Regul: ut notat Peyrinus de Praelatis. Quest: 2. Cap: 4. num: 2.

3. Valetudinarii, tales autem sunt illi, scilicet: qui ex causa infirmitatis aut aetatis non possunt vitam Communem & rigorem servare, & tales non solum sunt ineligibles, sed etiam si elegantur, defacto electio redditur nulla, ut habetur in Capite final: de Reformat: in 6. imo in Conscientia sic electi tenentur Officiis renuntiare, aliter non possunt absolviri, ut volunt insignes Doctores uti D. Thom: 22. Quest: 186. Art: 4. Navarrus Manual: Cap: 25. n. 133. & alii. Ja Nostra autem Religione multis Statutis cavetur ne ad Praelaturas assumantur, qui rigorem Communis vitae in Viatu, amictu, cæterisq; omnibus servare non valent. Et hoc confirmavit Innocentius XI. Item statuitur 22. Novembris, eodem Anno 1679. apud Orb: Seraph: Tom: 4. fol: 221. & 224. & alibi.

4. Secundo sunt ineligibles Leprosi, isti enim sunt abominabiles ut dic: Canon: Cap: Tu nos: de Clericis aegrotis in tantum quod ex Mandato DEI, à cohabitatione aliorum severissime arcebantur, proinde etiam repelluntur quo minus ad praesidendum ceteris assumantur, ut docent communiter Doctores cum D. Thom: Part: 3. Quest: 82. Art: 10. ad 13. Idem Judicium sit, de turpiter scabiosis, quorum scabies offendit oculos.

5. Tertio, excluduntur à Praelatura, qui lue venerea sunt infecti, & hac de causa faciem crustis deformatam habent, & quibus pili & Capilli deciderunt, unde glabri & depilati scandalose apparent, isti siquidem ut publici peccatores & notorie infames à Sacerdotis honore ut dicit Canon: Cap: Sacerdotes 50. dist: hoc est Praelatura elongantur.

6. Quarto, non possunt eligi in Praelatos Phthisici sive Tabidi

bidi marasmo laborantes, isti enim morbi pariter sunt incurabiles & interdum contagiosi, prout deducitur ex Cap: ex Parte de Cler: agrot: ubi laborantes morbo incurabili aut contagioso ineligibiles declarantur.

7. Quinto, perpetuò podagrâ laborantes, ita ut vel semper, vel pro majori parte anni cogantur in lecto decumbere, in tantum quod neq; Choro, neq; Communi Mensæ interesse possunt, multo magis Subditorum necessitatibus prospicere & occurrere, & hoc etiam ex eodem immediate citato Canone deducit *Paris: de Refig: Benef: Quæst: 6. num: 3.*

8. Sexto, Paralitici, quemadmodum & Appopleætici etiam Prælati esse non possunt, & hoc expreſſe prohibetur per Text: Cap: Final. de Clericis ægrot.

9. Septimo, laborantes morbo caduco seu Epileptici, etiamsi semel tantum hoc morbo vexati fuerint, prout clare docetur *Canone Communiter in Verbis exceptis 33. Dist.*

10. Octavo, Maniaci, Lunatici, Furiosi, etiamsi interdum lucida habeant intervalla, perpetuò à Prælatura arcentur, prout cum plerisq; aliis docet *Sigismundus à Bonon: de Elec: Dub: 89. num: 4.*

11. Nono, Energumeni, sive à Dæmone obsessi, & Arreptiti, qui à mal's Spiritibus ad terrâ eliduntur, non possunt esse Prælati, & hoc est de Jure Canonico Cap: Maritum, Cap: Communiter 33. Dist.

12. Decimo, Fatui, Stolidi, Stulti, & Amentes, sunt quoq; ineligibiles & omnino inhabiles ex Canone Cap: Petrus. 39. Dist.

13. Undecimo, habentes notabilem deformitatem in statu corporis, sive ratione nimia parvitatis, sive altitudis, prout habetur ex Cap: *Hinc etiam: 49. Dist: Cap. 2. junct: Glos: in Verbo Deformit: & alibi.*

13. Duodecimo, carentes nasô, alterovè oculô, manu
vel

De Fis, qui in Relig. ab intrinſ: Judices effiſi possunt. 29
vel digitis, & hoc diserte habent plures. Text: *Canonici, ut Cap: qui in aliquo 51. Dist.*

15. Decimo tertio, Claudi illi nimirum, qui incedere nequeunt sine fulcris, item Cibbosī notabiliter ratione deformitatis, ex *Canon: Cap: hic etenim 49. Dist: junct: Glos: in verbo Gibbosus.*

16. Decimo 4to, Cœci sive à natura, sive ex infirmitate, sive oculos habeant Catharacis impeditos, sive in nervis opticis occultum habeant impedimentum, quo minus objeda discernant. Nomine enim cœcorum veniunt hujusmodi, & de ipsis loquitur *Canon: de Cap: Hinc etenim §. Cœcus 49. Dist:*

17. Decimo 5to, Surdi & Muti, qui Subditorum querelas non possunt audire, neq; ad eos exhortationis & correctionis sermonem instituere, ita *Sagr: de censuris, Lib: 6. Cap: 8. n. 17. cum aliis plerisq;*

18. Decimo 6to, Hermaphroditæ sunt ineligibiles ad dignitates de Jure Canonico Cap: si Testis. 4. Quæst: 2. §. *Hermaphroditus.*

19. Decimo 7mo, Irregulares ex delicto ut multi dicunt *Canones Cap: 51. cod: de Reformat: in 6. Cap: Is qui, de Sententia Excommunicat: in 6. Cap: 2. de Cler: pung: & alibi, quod si eligantur, electio ipsa facta est nulla.*

20. Decimo 8vo. Privati Jure suffragiorum, actibus legitimis, aut Officiis Ordinis quem admodum clare videre eit in *Nostris Statutis Generalibus Cap: 7. §. 6. n. 13. & 4. ubi cum loquantur verbis negativis dicendo, ita ut privatus nec elegere, nec eligi possit ad quocunq; Officium Ordinis, irritat ipso jure factum in Contrarium.*

21. Decimo 9no, Publici Aleatores & ebriosi ij nimirum, qui frequenter in ebrietatem incident, à Prælaturis arcentur, & irrita redditur ipso facto eorum elecio de Jure Com: uti Cap:

Cap: A crapula de Vit: & Honest: Cleric: Cap: Episcopus 35. dicit Concil. Trid: Sess: 22. de Refor: Cap: 1. & Sess: 24. Cap: 12, co. Tit: & ita passim multi Doctores.

22. Vigesimo Maculati circa fidem puta Hæretici, eorum Receptores, Fautores, Defensores, sive manifesti, sive occulti, & hoc etiam post publicam emendationem eorumq; Filii, vel qui objuraverunt in Tribunali Fidei Cap, Quicunq; §. Hæretici & alibi.

23. Vigesimo 1mo. Bigami sive verè, quando nimis quis duas Uxores unam post aliam habuit. Sive interpretativè, quando nimis duxit in Matrimonium Viduam, vel antea à se corruptam, sive demum similitudinariè, quando nempe post emissum solemne votum Castitatis. Vel explicitè in Professione Religiosa, vel implicitè in susceptione Ordinis Sacri nupsit, idq; ex Jure Cap: 1. & 2. Dist: 33. Cap: 1. & 3. de Bigam. Trident: Sess: 23. Cap: 17. de Refor.

24. Vigesimo 2do. Illegitimi, illi, nimis, qui ex legitimo Matrimonio nati non sunt, vel saltim per subsequens Matrimonium non legitimati, ut constat ex Cap: Cūm in Cunctis Cap: innotuit de Elect: & alibi.

25. Vigesimo 3to. Minores ætate quam per uniuscujusq; Ordinis vel Religionis Constitutiones præscribatur, quemadmodum in Nostro Ordine ad Electionis validitatem requiruntur pro Gvadianatu anni 30. ætatis, Religionis 10. & minus aliquod in Religione exercitum uti Lecturæ, Prædicatæ vel Vicariatū. Pro Definitoribus verò & Custodibus Provinciæ anni ætatis triginta tres, Religionis ultra quindescim. Jam demum pro Provincialatu & Definitoratu Generali anni ætatis triginta quinque, Religionis viginti completi. Ita Statutum Vallisoletanum.

26. Vigesimo 4to. Infamia promotionem ad Dignitates impedit, est autem infamis ille cuius Status lege & moribus reprobatus est, ut deducitur ex Jur. l. sed si §. Prator: junct:

Gloss:

Gloss: ff. de in jus voc: L. Honori l. licet ff. de obseq; à lib: Hæc autem infamia bifarie dividitur, videlicet in infamiam Juris & infamiam facti, prima est; dum Judex aliquem condemnat de crimine per quod Reus notatur infamia. Altera vero cum aliquis infamatus manet apud bonos & graves Viros de delicto infamiam importante, ut dicitur Cap: sunt pleriq; 6. Quæst: 1. & alibi 1543. Anni.

27. Vigesimo 5to. Excommunicati Excommunicatione Majori sive à Jure, sive ab homine, nec non suspensi & interdicti. Cap: Constitutus de Appellat: Cap: Nos. in 9. Quæst: 2, Item Cap: Can: Dilectus. Quia nobis de consuetud: ac tandem Cap: Inter: R. de Elect: Cap: P. ille postul: Prælat; Cap: Final: de Excess: Prælat.

C A P U T VII

Qui ab extrinseco seu accidentalí Judices
esse non possunt?

S U M M A R I U M.

1. Ultra illos qui ab intrinseco Judices esse non possunt occurunt Causæ arcentes Judices per recusationem.

2. Harum prima est inimicitia sive Capitalis, sive non Judicis cum Reo.

3. Quid sit inimicitia Capitalis, & quid non Capitalis?

Ibidem Inimicitia Capitalis debet procedere ex injuria.

Ibidem Hinc juste punitus à Superiore nequit conqueri de injustitia.

Ibidem Debet esse injuria gravis, ut probet inimicitiam Capitalarem.

Ibidem Sive attentatio injuriæ fiat verbo sive scripto sufficit ad probandam inimicitiam.

Ibidem

- Ibidem* Fortius autem si scriptō processerit.
- Ibidem* Etiam attentata Injuria gravis probat inimicitiam Capitalem.
4. Factionum diversitas est etiam sufficiens fundamen-tum recusandi Judicem.
 5. Defeſus alicuius qualitatis requisitæ in Judice quos præcedenti Capite recensuimus, sufficit etiam ad Ju-dicem recusandum.
 6. Si Judex sit æmulus ad aliquam Dignitatem cum Auctore vel Reo, poterit ab illis ut suspectus recusari.
 7. Poterit etiam recusari Judex ut suspectus, si Reus jam alias in ante ab eodem appellavit de gravamine.
 8. Si nimirum gravamen fuit legitimū & probatum.
 9. Si vero prius male appellavit, non poterit ob id recu-fare eundem.
 10. Si Judex vel ejus Secretarius, aut Socius, sit consan-gvineus, aut affinis Actoris vel Rei usq; ad quar-tum gradum, poterit recusari.
 11. Item qui Juris ordinem non servarunt.
 12. Qui Parti adversæ nimium faverint.
 13. Qui modum Commissionis excesserunt.
 14. Qui Reum extrajudicialiter gravaverunt.
 15. Sive id verbis, sive facto processerit.
 16. Qui votum suum in favorem Partis adversæ ante tempus manifestaverunt.
 17. Qui contra recusantes graviter minati sunt.
 18. Cauta autem hac in re procedendum Reis circa recusationem.
 19. Sola Causa probabilis suspecti gravaminis non suffi-cit ad Judicem recusandum.
- Ibidem* Multo minus dubia.
- Ibidem* Semper autem requiritur Causa certa & manifesta.
- Ibidem*

De iis, qui ab extrinſicis Judices esse non possunt.

33

Ibidem Quæ sunt hujusmodi certitudines?

1. Recensitīs præcedenti Capite iis omnibūs quibūs ab intrinſeco, vel ut alii loqvuntur de jure excluduntur aliqui ab Officio Judicis, nunc tractandum manet, de illis propter quæ nonnulli arcendi maneant, & non admittendi ad mu-nus Judicij vel potius ad exercendum munus Judicij ali-cujus determinati, videlicet per recusationem illius à Reo si-ve sit Judex Ordinarius, sive Delegatus, in qua re quia mul-ta occurruunt, propter quæ Judex, sive Ordinarius, sive De-legatus, recusari possit à Reo, ne contra illum procedere valeat, digestim singula proponentur.

2. Prima igitur causa recusationis Judicis, sive Ordinarii, sive Delegati est Inimicitia, tum Capitalis, tum etiam non Ca-pitalis, & quidem quod attinet Inimicitias capitales id ha-betur paſſim in utroque Jure (puta tām Civili, quām Eccle-siastico) uti Cap. Quod ſuſpecti: Quæſt. 5. Cap. ſciſcitatōs de Refor. Cap. Suspiciones de Off. Deleg. & alibi. Jam verò de non Capitalibus videtur sufficere ipſe Textus ubi dicitur *Inimici etiam non capitales*.

3. Porro Inimicitia capitalis dicitur ea, in qua inter Par-tes intercedit odium capitale, hoc est cum discriminē Capitiis. Inimicitia verò non capitalis est: quæ procedit ex inju-ria gravi facta sive attentata verbō vel scriptō, aut factō in Personam vel honorem alicujus aut ſuorum. Ex qua defi-nitione clatè patet Inimicitia sufficiens ad aliquem Judicem recusandum. Dicitur itaque quod talis inimicitia debeat procedere ex injuria, quod enim ſecundūm Jus factum est, neminem debet mouere ad inimicitiam, unde ad hoc quod ex facto reddatur aliquis inimicus, oportet quod factum i-psum sit injuſtum, ſic enim justè poterit conqueri gravatus quod sit laſsus. Unde si Judex carceravit aliquem, vel aliter acrius punivit, si talis ſententia non fuerit contra Jus, non

po-

E

poterit reputari inimicus sententianti: dicente Lege: *Quæ jure potestatis à Magistratu sunt, ad injuriarum actionem non pertinent L. Injuriarum §. Quæ jure ff. de Injuria & fam. Farinac. quest 49. n. 72.* Dicitur grave non enim censetur rationabiliter, quod ex levi injuria aliquis ad inimicitiam accendatur, & si in aliquibus hoc accidit, est, quia injuriatus apprehendit & falsò judiciō levem injuriam reputat pro gravi, sed hoc circumscribi debet à Judice, qui secundūm Abb. in Cap. pervenit n. 3. de sent. Excom. debet judicare speccata conditione, loci, temporis, Personæ, modi, & aliarum circumstantiarum, quandonam censenda sit injuria levis: & quando gravis. Dicitur facta sive attentata, quando nimis qui injuriam attentavit, fecit quantum potuit, licet effectus injuriæ non fuerit subsecutus, nam de Jure eadem pæna dabitur conati criminis, illò etiam non securò, quæ debebatur effectui. Conatus enim criminis, illò non securò probat æquè malitiam internam completam, acsi Crimen effetuatum foret. Dicitur verbō vel scriptō, quia per Scripturam eò graviter injuria poterit irrogari, quò hæc durabilior ex natura sua est, & pluribus manifestabilior. Dicitur vel factō in Personam, quod quidem multipliciter fieri potest, vel nimis mortem attentando, aut percutiendo graviter, aut mutilando, aut vulnerando, vel spoliando, & tunc dicitur atrox juxta Bart. in Lib. 4. S. final. ff. de Adimen. legat: & causat inimicitiam capitalem, vel minando, terrendo, falsè accusando, & putatur non capitalis. Dicitur vel honorem, oritur enim gravis inimicitia, ex contumelia, per quam minuitur alicui honor, maximè in præsentia exterritorum, apud quos injuriatus est in existimatione.

4. Alterum fundamentum recusandi Judicis, titulō inimicitiae est factionum diversitas, hoc est, si Reus, aut Actor sit ex una, Judex autem ex altera factione. Incidamus in mala

mala tempora, ea scilicet, in quibus Cùm dormirent homines, hoc est remissiūs agerent Prælati Ecclesiæ, ut explicat Beda, inimicus homo (puta Diabolus) superseminavit zizania in agro Religionis, in quo Cœlestis Ille Agricola bonum semen omnium Virtutum seminaverat. Idem spiritus ambitionis quem sensere Apostoli, qui cùm omnia mundi dimisissent, ut sequerentur Christum, tamen facta est contentio inter illos, quis eorum videretur esse Major. Matth. 20. eosdem affectus suscitavit inter Religiosos, nostra tempestate, ut sæculi pompis despectis, asperam inter Regulæ rigores ducentes vitam, nihilominus dignitatibus delectati, dum Dominum inter Religiosos aut consequi, aut prorogare potentiam gestiunt, conquerunt Socios, sequaces venantur, Clientes invitant, non virtutis attendentes delectum, ast dummodo suæ factioni faventes. Hisque stipati tanquam militari agmine factō contra cæteros, qui ipsorum potentiam invisam habent, bellum gerunt, incruentum quidem ast longè acrius, in illa namq; vita, in hoc honor, & tamen longè pretiosior periclitatur, ubi & calamō & lingua impetratur vita aliunde innocens, hōc solō motivō, quia unus & Pauli alter verò Apollo, ita ut sola factione inter illos amor & odium, familiaritas & aversio, nulla alia interveniente causa mensuretur. Non omnes tamen hujus farinæ cendiuntur, qui vivunt in Claustris, passim enim inveneris Viros apprimē bonos, pios & Religiosos, ac sanctissimē zelantes, & de his hic non est sermo, ast loquimur de illis, qui superbiā tumidi, dominandi cupidine prædicti, Virtute vacui, alias ambiant per Prælaturas anteire, his enim malis artibus eos violenter, dolosè, & culpabiliter invadunt, tuentur, & protendunt, atque inter inimicitiarum discrimina de dominatione anxij miserrimē vivunt. Si itaq; talis farinæ sit Judex sive Ordinarius, sive Delegatus, Reus verò sive Actor sit adversæ factionis, dicendum est evidenter con-

stare de inimicitia, & posse hujusmodi Judicem recusari, quia tutum non est sibi coram illo litigare, etiamsi est Judex ex aliena Provincia, dummodo sit ex factione fäderata, & ita habetur in Jure Canon. Cap. Statum *s.* Cum verò de Reser. in 6. atq; in Gloss. ejusdem.

5. Tertia causa spectans ad esse Judicis ob quam potest ut suspectus recusari, est qualitas reddens ipsum suspectum. Quod quidem dupliciter considerari potest, vel nimirùm si alicui desit aliquid ex qualitatibus præteritō Capitulō recensisit & de Jure requisitis, puta si Actor & Reus sciat, quòd Judex introduxit Mulieres ad Claustrum, vel ad instantiam sæcularium contulit Dignitates Religiosas, atq; hac causa incurrit Excommunicationem ipso facto, quod & Testibus congruentibus probare possit, in tali namque casu, poterit Actor & Reus talem Judicem recusare nolendo cum ipso communicare, *Jta Suarez de Censur. disp. 15. Sect. 7. n. 3. & alii.* Secundo quando ex qualitate Personalis, quæ est in Judice, justè aut Actor aut Reus potest habere suspicione gravaminis, puta si Judex est meus Æmulus concurrens tecum ad Dignitatem, suspicari licet illum me per fas per nefas condemnaturum iri, quô Æmulô carens, ipse tutiore evadat, vel si sit illiteratus & ignarus, & regatur ad nutum inimici. Actoris aut Rei, quo casu timendum est, ne ex ignorantia sua & malitia inimici Consiliarii graviter Causæ præjudicet, item si sit indiscretus & consuetudine crudelis ac iniqvus, gaudens affligere Proximum, ac demum si sitavarus, & metus inest, ne ab Adversario corruptatur, omnes enim hujuscemodi possunt recusari, communī calculo Doctorum, uti *Bald. in Cap. ad nostram de Prob. Fren. in Cap. postremo in fine de Apellat. & alii.*

6. Quarto recusari potest Judex ut suspectus, si Reus jam aliàs in ante ab eodem Judice appellavit de gravamine, cuius

eius ratio est, quia si Reus aliàs jam in ante ab hoc Judice fuit injustè gravatus. Vero simile est & nunc posse manere gravatum, quod tamen sane est intelligendum, nimirùm si Reus legitimè appellavit, & Judex altior ad quem appellavit, probavit appellationem & agnovit gravamen. Si verò Judex superior probavit judicatum, declarata frivola appellatione, tunc minimè censendus est Reus fore injuriatus, ita habetur *Cap. ad hæc ill. 1. Cap. proposuit de Appell. & communitate sentiunt Doctores.*

7. Quinto Judex pro suspecto haberi potest, & ut talis recusari, si vel ipse vel Secretarius, aut Socius illius sit Consanguineus, vel Affinis usque ad quartum gradum Accusatoris vel Rei, ita Passerinus Trib. Regul. Quæst. 3. n. 113,

8. Sexto recusari possunt Judices ex ordine præcedenti, nimirùm, si Juris ordinem non servaverunt, quod utique intelligi debet de ordine Juris essentiali, non verò de solemnitatibus Juris, in his enim Sedes Apostolica dispensavit Regulares quo citius eorum lites terminentur. Quæ autem sint de essentia Juris, & quæ solemnitates censendæ, dicetur sequenti Capitulo, ita Direct. Inquisit. P. 3. Quæst. 67.

9. Septimo, qui Parti nimium favent, si enim Judex nimium favorem ostendat, vel Actori vel Reo, poterit ut suspectus recusari. *Ita Guazzin. Defens. Cap. 21. n. 25.*

10. Octavo, qui modum Commissionis & Executionis excederit, quod de Delegatis intelligendum est, in quo casu licet Judex attentet, & nulliter agat aliunde, poterit tamen etiam recusari, hoc autem tunc fieret: si Judex habitō commissō ut examinet Fratres, audeat etiam examinare sæculares, si habeat demandatum Paternaliter & Civiliter cognoscere, pergit judicialiter investigare & similia. Ita habetur Cap. super Quæst. *P. de Offic. Delegat. & alibi.*

11. Nono qui Reos extrajudicialiter gravaverint, quod quidem dupliciter contingere potest, vel nimis verbis vel factō. *Verbīs* quidem mordacibūs, exaggerativis, & exorbitantibūs, à crimine, super quo facta est Paterna correctio. *Factō* verò, dum illis opera, magis laboriosa, ex malo animo, committit, indebet fatigat, & in pænitentiis injungendis excedit modum solitum dandarum pænitentiarum, aut à Statutis taxatarum, ex his enim omnibus colligitur malus at nimus Superioris erga subditum.

12. *Decimo.* Qui votum suum ad favorem Partis adversae manifestaverit, puta ante tempus & latam ac promulgatam sententiam, ex hoc enim arguitur extraordinaria familaritas Judicis cum Parte, & proindè adest justa præsumptio recusationis, ut habetur. *Cæsar. de Gloss. Decis. 93. n. 5. & 9. & alibi.*

13. *Undecimo,* Qui contra recusantes minati sunt, quod quidem intelligi debet de minis gravibus ortis ex gravi causa ac de recenti, & à Persona, quæ sit solita munus executi, tales enim utique recusari possunt, secus verò si aliter res se habeat, si nimis minæ ortæ sint de levi causa, & à longo tempore, & Persona sit facilis ad excandendum, sed brevi iram & indignationem deponat.

14. Recensitis omnibus & singulis causis in Lege specificatis, ob quas legitimè à Reo, vel Accusatore recusari potest Judex, tum Ordinarius, tum Delegatus, tum demum Arbitrarius. Concludendum venit hoc Caput ejusdem Legis animadversione, quæ præcipit Reis animadversionem, ne sub colore concepti vel immaginati gravaminis probos Judices recusent. Quia nisi certo sciant sibi à Judice imminentem periculum, eum leviter recusantes in mortalis culpæ reatum incident. Et sane, quod enim pro præsidio innocentiae à Lege introductum est, non debet malitia humana ad maculandam innocentiam

De forma Juris servanda à Judice Regulari 39
am Virorum honestorum quales putantur esse Judices detorqueri.

15. Itaque sciendum est, quod Religiosus non potest recusare Judicem sive Ordinarium sive Delegatum ex causa probabili, sive dubia, sed nonnisi ex causa certa & manifesta, ut tenent communiter Doctores, uti Sanchez. *Decalog. Lib. 6. Cap. 8, in fin. Lezan. Tom. 2. Cap. 9. n. 8. & alii.* Certitudo autem ista tripliciter considerari potest, vel nimis quod sit certa in Jure, idest, quod causa, ob quam ipse recusat sit in jure expressa: tanquam sufficiens ad recusandum vel quod sit certa, in facto: hoc est, quod Judex recusatus certe talis sit, qualem recusans dicit, puta inimicus, Excommunicatus, vel similia, vel tandem quod sit moraliter certus de gravamine injusto sibi eventuro à tali Judice, & non sufficit quod periculum talis gravaminis sit probabile vel dubium. Licet enim de hujuscemodi futuris non possit haberi certitudo Physica, potest tamen haberi moralis pensatis circumstantiis, qualitatibus, & modō agendi Judicis cum Reo extrajudicialiter, ex quibus oritur vehemens præsumptio, quod in Judicio similiter cum eodem Reo processurus sit Judex.

C A P U T VIII.

Quam formam Juris servare debet
Judex Regularis?

S U M M A R I U M.

1. Duplex est modus, seu forma Juris Ecclesiastici.
Ibidem. Primus est Ordinarius, Alter dicitur Summarius & de plano.
Ibidem. Summarius modus ideo dicitur, quia nonnisi teneatur ad essentialia Juris.

Ibidem

Ibidem Minimè verò ad Solemnitates.

2. Quæ sunt essentialia Juris, & quæ Solemnitates?
3. Hujusmodi essentialia Juris, quædam sunt de Jure naturæ.

Ibidem, Alia verò etiam de Jure Divino, nonnulla autem non nisi de Jure humano.

4. Quæ sunt Solemnitates Juris?
5. Primo modo procedendi utuntur Episcopi & eorum Vicarii.

Ibidem Alter modus convenit Regularibus.

Ibidem Idque ex concessione Summorum Pontificum.

6. Regularibus magna congruit forma Juris summarij & de plano.

1. **D**Uplex est modus procedendi in Jure Ecclesiastico, seu duplex forma Juris sequenda. Prima quidem est forma Judicij communis seu Ordinarii. Altera verò forma Judicij Privilegiati, quod aliter dicitur Summarium & de plano, Forma Juris seu Judicij communis seu Ordinarii, consistit in hoc, ut Judex non solum servet essentialia Juris, sed etiam procedat conformiter ad omnes apices Juris, servatis quoq; omnibūs solemnitatibūs Juris. Forma verò Judicij Privilegiati Summarii & de plano, ex eo dicitur, quia Judex servatis essentialibūs Juris, nihil respicit ad Solemnitates & apices Juris.

2. Porro essentialia Juris, quæ sub pæna nullitatis actuū & privationis observari debent. Sunt: *Primo* quod Judex sine Accusatione, Denuntiatione Infamia. Iudiciis, exceptione, non procedat ut dictum est. *Secundo* quod Testes tam pro Reo, quam contra Reum legitimè producti cum juramento, audiuntur & examinantur. *Tertium* quod Reus citetur, nec abs ns nisi contumax condemnetur. *Quartum* quod ad tempus necessarium eidem ad probationes, excusatio-

nes,

nes, & defensiones tribuatur. *Quintum*, quod Reo petenti in sua Causa Consiliarium & Procuratorem (intra ordinem tamen, nunquam autem extra) non denegetur. *Sextum* quod justæ Rei exceptions admittantur. *Septimum*, quod Reus non nisi per plures Testes convictus vel confessus condemnetur. *Octavum*, quod sententia secundum allegata & probata, sive ad abolutionem, sive ad condemnationem Rei, non verò secundum zelum & affectum Judicis proferatur. Ita Textus ipse Legis. Ultra autem ista, sunt quoque alia essentialia Juris, ut sunt Scriptura Actorum omnium, Notarius juratus, Testium secretum examen, quod esse de Jure naturali vel Divino probare nititur. *Practica Roderici ex Gloss. in l. Si quando: Cap. de Test. de quibus suo loco sigillat in dicetur.*

3. Hujusmodi autem essentialia Juris recensita, non omnia in uno eodemque Jure fundantur, alia enim sunt de Jure naturæ, alia de Jure Divino, alia denique de Jure humano. De Jure naturæ sunt omnia illa, quæ faciunt ad Rei defensionem, quod enim homo se defendat, est de Jure naturæ *Clement Pastoralis l. esto igitur de sent. & re judic.* Similiter est de jure naturæ, quod Judex non procedat contra delinquentem, nisi delictum sciat esse commissum, sicq; ex recensitis essentialibus Juris primum, tertium, quartum, quintum sunt, seu fundantur in Jure naturali. Jam verò secundum & septimum, in quibus agitur de Testibus ad condemnationem Rei necessariis sive de Rei confessione est de Jure Divino, *Deuter. Cap. 17. v. 6.* ubi habetur: *In ore duorum vel trium Testium peribit qui interficietur.* Et DEUS ipse non condemnavit Adam & Evam, nisi post confessionem, delicti commissi. Cætera autem sunt de Jure tūm Civili, tūm Ecclesiastico, seu Canonico, uti *Cap. Fraternit. Cap. nuper de Test. & alibi.*

4. Jam verò Solemnitates Juris sunt, citatio Juris die non feriata, Libelli porrectio in Scriptis, Litis contestatio, Testium multitudo, Prolixæ dilationes, Testium post publicatas

catas attestations receptio, sententiae secundò prolatione, Ciationum intervalla, Interlocutoria, & cætera hujusmodi, quæ sufficientissimè collegit *Gloss. in Extravag. ad reprimendum. Quam in Crim. Læsi Maj.*

5. Primô modō procedendi, videlicet ordinariô & communî utuntur Judices Curiarum Ecclesiasticarum prout res per se patet. Quia verò hoc modo procedendo, & hanc formam sequendo, multo tempore opus est ad Litem terminandam, hinc summi Pontifices volentes pacem & tranquillitatem conservare & fovere inter Regulares, eosdem dispensarunt ab omnibus Juris solemnitatibus, quo citius eorum Causæ terminari valerent, dummodò serventur essentialia Juris, prout patet ex Compendio Privilegiorum V. Appellat. n. 1. & v. *Correctio Fraterna* n. 6. & *Berti. Titul. 5. Cap. 2. n. 25.*

6. Ex his autem omnibus, quæ hac occasione dicta sunt patet abundè resolutio, nimirùm Regulares non teneri ad servandas Juris Solemnitates omnesq; illius apices, ac per consequens debere illos potius procedere formâ Juris Summarii & de plano, servatis nonnisi iis omnibus, quæ sunt de essentia Juris.

C A P U T IX.

Quot Personæ constituant Judicium?

S U M M A R I U M.

1. In Judiciis Ordinariis adhibendi Assessores.

Ibidem. Horum usus non reprobatur etiam in Judiciis Regularium.

Ibidem. Hi tamen non debent censi Conjudices, ast non nisi Consultores & Testes.

2. Antiqua Ecclesia hunc morem Judiciorum servavit.

3. Ultra hos in Judiciis requiritur Notarius Juratus.

4. Interdum opus est variis scientificis, uti Hirurgis, Medicis &c.

Ibidem. Præsertim circa examen corporis delicti.

5. Sine Actore & Reo saltim implicitè cognito non proceditur ad Judicium.

6. Quo se Reus sufficienter defendere valeat, debet ipsi concedi Patronus & Consiliarius.

7. Hæc tamen omnia ad numerum trium Personarum reducuntur videlicet Judicis, Actoris, & Rei.

1. Quo perfecta forma Judicij teneatur, multis Personis

Opus est, ultra enim Judicem, qui primum Judicij locum & occupat & tenet in Judiciis Ordinariis, locum quoq; habent Assessores, qui aliter Consiliarii dicuntur, prout notat *Jurisconsultus in L. 1. ff. de Officio Assessorum*, qui usus adhibendi hujuscemodi Assessores neq; in Religionibus, ubi proceditur summarie & de plano vituperari debet, & ego illo semel usus sum. Licet autem hujuscemodi Assessores non sint Conjudices, cum illis non competit Auctoritas decisionis, poterunt esse opportuni Consilio & testimonio integritatis Judicis sive Ordinarii, sive Delegati.

2. Et hunc morem servasse videtur Ecclesia Primis sæculis in suis Judiciis, ut colligitur ex *Libro 2. Constitut. Apostol. Cap. 47.* quæ Constitutiones si forte Apostolis tribui nequeant, videntur tamen circa sæculum 4tum collectæ, & disciplinam illius ætatis exhibere, quibus præscribitur, ut Episcopo judicanti assistant Presbyteri & Diaconi.


3. Secundo opus est Notarij Jurato, qui omnes actus Processus scribat, connotet, cunctaque ad Processum spectantia compilat & conservet.

4. Tertio opus est interdum Jurisperitis, Consiliariis, Patronis, & circa examen corporis delicti, variis scientificis artificibus, puta Medicis, Hirurgis & aliis.

5. Quarto cùm Judex procedere nequeat nisi constet de delicto saltim, & Judici qua Judici constare nequeat de delicto, donec illi ab aliquo significetur, quæ enim ex propria scientia Judici sunt nota, contra hæc, ut Judex procedere nequit, hinc etiam opus est Accusatore & Reo, saltim implicitè, si nimirùm pateat delictum, & non pateat delinquens opus est Testibus, quibus Reus detegatur & convincatur. Neminem enim condemnabimus, nisi Jure victum, Reus autem non convincitur, nisi per Testes plenos, integros, ac consente ntes.

6. Ad ultimum quia defensiones Rei sunt de Jure naturali, si forte non fuerit literatus, & voluerit se defendere, necessarii sunt Procuratores & Consiliarii.

7. Verùm hæc omnia ad numerum trium Personarum reducit *Zeberella Abb. Rodr. de Jud. V. Quest. Diff.* ubi ait: Quod Judicium sit actus trium Personarum, videlicet: Judicis, Actoris, & Rei, & sanè, quotquot enim Personæ ingrediantur Judicium, omnes istæ ad has tres Classes reducentur, Sic enim Assessores, Consiliarii, Notarius, Personam Judicis integrant. Testes vero si sint ex parte Actoris, Actore n, si vero ex parte Rei, Reum, sicut & Examinatores corporis delicti, tandem Procuratores, Consiliarius, Personam Rei repræsentant, & integrant. Quo igitur Præposito nostro lateri satisfiat, cùm de Judice jam satis dictum sit, de Actore & Reo sequentibus differemus.



Quæ sub Nomine Actoris veniunt consideranda & observanda?

S U M M A R I U M.

1. Nomine Accusatoris venit etiam Denuntiator:
 2. Quid sit Accusatio?
 3. Qui sunt illi, qui ex Jure positivo Accusatores esse nequeunt?
- Ibidem.* Accusare & Accusatores esse nequeunt, Primo infames.
- Ibidem.* Quid, & quotuplex sit infamia?
4. Item Excommunicati, qui etiam à nonnullis interinfames collocantur.
 5. Tertio Calumniatores.
 6. Quarto Conspiratores.
 7. Inimici, nisi suam prosequantur injuriā.
 8. Accusati de eodem Crimine.
 9. Laici Sæculares & Mulieres, nisi suam prosequantur injuriā.
 10. Socii criminis nisi in criminibus exceptuatis.
 11. Quænam sint hujusmodi crimina?

12. Nequit item accusare, qui per Testes idoneos delictum nequit probare.

Ibidem. Jdq; sub pæna talionis.

13. Accusator esse nequit, nisi prius juret se non moveri malō zelō.

Ibidem. Et obliget se ad probandum sub pæna talionis.

14. Reiciendæ quoq; accusationes factæ suppresso Nomine.

15. Accusans de pluribus Criminibus, si unum probaverit, evadet pænam talionis.

Ibidem. Nisi expresse se obligaverit ad probanda singula.

16. Accusans aliquem de falso calumniatoris, pænam incurrit.

17. Propositâ & acceptatâ à Judice accusatione, Accusator ab illa recedere non potest.

Ibidem. Nisi propriam prosequatur injuriam.

18. Accusationes contra Prælatos & Insigniores Personas, de facili non admittendæ.

19. In antiqua Ecclesia, inferioribus non licebat accusare Prælatos.

20. Accusationem semel receptam, Judex abolere nequit.

Ibidem. Nisi de consensu Actoris.

21. In uno Libello Accusatorio, nequeunt plures accuri, nisi plures ad idem delictum concurrerint.

Ibidem. De pluribus autem delictis sive ex eodem, sive ex diversis factis resulant, idem accusari potest.

1. **N**omine Actoris posset equidem venire etiam Denuntiator, nam & hic agit apud Judicem de correctione delinquentis, imò accusatio Civilis in nullo videtur diffrerre, à Denuntiatione, sed quia hic agitur de actione Criminali qualis ordinariè sumitur pro accusatione, hinc totò hoc Capitulō sub Nomine Actoris, de Accusatore & accusatione Criminali erit sermo, sequentī verò Capitulō de Denuntiatione tractabitur.

2. Itaq; accusatio, est Criminis apud Judicem vindicationis causâ ob bonum publicum delatio. Jam verò Accusator dicitur, qui per Testes idoneos, ad probationem legitimam coram Prælato se obligat, quique Legibus accusare non prohibetur. *Ita Textus Legis Tit: Accusatio Accusator.*

3. Qui autem sint hi, qui ex Lege positiva ab accusatio-

ne

ne arcentur, quiq; Accusatores esse nequeunt, eadem Lex enumerat dicens. Primum enim ab accusando reiiciuntur infames, tām Juris, quām facti. Porrò infamia in Jure Canonico non infligitur nisi ob Crimen, quod vel Legi Divinæ, vel mandatis Ecclesiæ aduersetur, & hæc est duplex. Prima dicitur Juris, estq; dum aliquis à Jure convictus manet de commissio Crimine habente sibi annexam infamiam. Altera dicitur facti, quando quis commisit delictum contra Legem Divinam vel Ecclesiasticam, ita ut hoc delictum sit notorium, licet Judex contra illum delinquentem non processerit, neq; sententiaverit. Quæ autem sint hujusmodi Crimina habentia sibi annexam infamiam, qui specificè scire cupit, audeat *Ludovicum ab Ameno.* P, 1. Tit: 5. fol. 155.

4. Secundo Excommunicati, qui etiam inter infames computantur, ast nonnisi debent intelligi Excommunicati declarati, seu notoriè tales, non verò occulti. Si nimis eorum delictum, ob quod merentur Excommunicationem, non fuit deductum ad Forum contentiosum, & non est probatum: ex *Gloss. in Cap. Christiana 32. Quæst. 5.*

5. Tertio Calumniatores. Porro aliquis calumniari quempiam dicitur, qui per fraudem & frustationes, alium vexat, sive Litem injustè movendo, sive petendo indebitum, sive temerè alteri controversiam movendo, sive falsum Crimen in Judicio obijciendo, prout deducitur ex *Juribus L. 233. ff. de Verb. sing. L. 3. ff. ad S.C. Turp. & alibi.*

6. Quarto Conspiratores, suntq; illi, qui facta aliqua fraudulentia confæderatione, in præjudicium alicujus, vel in re, vel in Persona, vel demùm in Dignitate aliquid attentant, atq; ideo dicuntur conspirantes, quasi idem malum alteri spirantes, qui si forte ad consummandam suam malitiam, & simul standum etiam Juramento se obstrinxerint, dicuntur Conjuratores, & eorum Actus dicitur conjuratio. *Ita San-*

Sanctorus de pæna Cap. 16. Quæst. 1, V. dicitur autem.

7. Quinto Jnimici, nisi suam prosequantur injuriam, puta, dum instituitur accusatio ob prætentum zelum boni publici, additur autem clausula *Nisi suam prosequantur injuriam,* quia si Accusator quærit indemnitatem per accusationem, etiam si sit inimicus, non est repellendus.

8. Sexto accusati de eodem Crimine, puta si Catus accuset Titium de Crimine furti vel suspecti Consortii, & Titius hoc auditio accedens Judicem, de iisdem delictis accuset Catum, vel quempiam alium; ita Can. L. si meritos §. Præscriptiones fide Adult. & alibi plura de his videantur apud *Ludovicum ab Ameno P. I. Tit. 8. fol. 211.*

9. Septimo Laici Sæculares & Mulieres, nisi suam prosequantur injuriam.

10. Octavo Socii Criminis, & ratio est, quia ex eo, quod aliquis est Criminosus est infamis, & per consequens reiiciendus. Tum quia talis, vel ob spem veniae, aut diminutionis pænae, aut ex odio potest socium aggravare, & ideo tales, neq; ad accusandum, neq; ad testificandum admitti debent, de utroq; *Jure Cap. de cætero. de Test. Cap. cum P. Manca. de Accus. & alibi.* Additur hic quoq; clausula nisi in Crimini bus exceptuatis.

11. Quæ autem sunt hujusmodi Crimina? exceptuata adnectitur, nimirùm: Hæresi, Maleficio, Sortilegio, Sodomiâ, Furtô famosô, Crimine Læse Majestatis, Proditione, Symoniâ, in his enim casibus omnes accusare possunt, etiam inhabiles.

12. Nono deinde nullus sub pæna talionis accusare potest de Crimine, quod per Testes idoneos probare non valet, pro quo advertendum est, quod sicuti Accusator non debet accusare, nisi simul proponat, & offerat Judici Testes idoneos ad probandum quod afferit, & objicit alicui, ita pariter Judex accura.

accusationem non debet acceptare, nisi sibi propositos habeat Testes, alias & ipse Judex incurreret pænas male judicantium.

13. Decimo. Accusator esse nequit, nisi prius juret se non moveri ullô malô zelô, & donec se obliget ad probandum sub pæna talionis, id est simili, quæ deberetur huic delicto, quod Accusator objicit alicui, in hoc enim consistit differentia Accusatoris, à Denuntiatore, quod Accusator teneatur probare delictum objectum, quô non probatô incurrit pænam talionis; Denuntiator verò semper manet in tuto & in toto, & hoc est de Jure Divino, ut patet Exod: Cap. 21, §. 23. & Deuteron. Cap. 19. §. 21.

14. Undecimo, Similî modô reiiciendæ sunt accusations de Crimine in genere, & non expresso Accusatoris Nominе, sed illæ solùm, quæ delicta in numero cum loci Personarum & temporis circumstantiis offerunt; quo possit Reus se tueri, & Actor si non probaverit pænam talionis subire. Quemadmodùm & accusans aliquem de aliquo delicto, pro quo alias jam ad Capitulum, seu Superiorem localem fuit delatus & competenter punitus, sive accusans de aliquo, quod tanquam falsum, jam alias fuit rejectum, nisi ad novas probationes se obliget.

15. His recensitis, per quæ Accusatores ab accusatione sunt arcendi, seu verius, qui legitimi ac veri Accusatores esse nequunt, cætera quæ spectant Accusatores videamus. Hac igitur in re, prima Regula Juris est, quod accusans de pluribus Criminibus (nisi expresse se obliget ad probandum omnia) si unum aut alterum ex objectis probaverit, à talionis pæna liber existit, similiter Accusator semiplene probans delictum, hoc est per unum Testem omni exceptione majorem, vel ex fama, vel ex auditu à Viris fide dignis pænam talio-

nis evadit, nisi Reus plenè innocentiam suam probaverit, quia tunc Actor minori aliqua & arbitrariâ pænâ plectendus erit: Ita Ius Can Cap. Quanta de Judic. Cap. Præterea il. 2. de Transact. & alibi.

16. Secundo. Accusans aliquem scienter de falso, Calumniatoris pænam incurrit.

17. Tertio, qui alium accusavit, & ejus accusatio recepta fuit juxta formam traditam, à prosequenda accusatione sine Superioris assensu, recedere non potest, nisi propriam prosequatur injuriam, tunc enim licitum erit illi juri suo cedere.

18. Quarto. Accusationes contra Prælatos ac Insignes Personas, quales sunt Patres Ordinis & Provinciarum, nec non Generales, Lectores, non sunt recipienda, nisi à Personis de quorum zelo non ambigitur, quarumq; vita omnino laudabilis existimetur, ut gravissimè Sacri Canones deciderunt.

19. Et sanè, in antiqua siquidem Ecclesi tanta erat verentia erga Prælatos ac Majores, ut inferioribus eos accusandi foret de pleno denegata Potestas, ut patet multis in Canonibus, prout Cap. Cleric Cap. Majorum Cap. sententia Cap. Oves Cap. Accusatio 2. Quæst. 7. Tales enim Accusatores comparati sunt Cham qui Patris dormientis pudenda Fratribus impudenter ostendit, ut dixerant Sancti Clemens Epist. 2. ad Jacob, & Anacletus Epist. 3. ast deficiente interdum in nonnullis Prælatis vitae innocentia cognoscentes Summi Pontifices ac Concilia, quod non omnes Prælati sunt sicut erat Noe Vir justus in generatione sua & cum Deo ambulavit. Gen. Cap. 6. ¶ 9. permisit quidem Sontium Prælatorum accusations, tamen ita temperarunt Ecclesiæ politiam, ut nec Prælati possent impunè peccare, nec accusandi eos, quibuscumque data esset facultas, sed tantum hominibus vitae probatae ac-

cusa-

cusationi contra ipsos instituendæ facta est potestas, Cap. si qui sunt. Cap. Quærendum 2. Quæst. 7. Conci. Nice. 1. ex Jul. & alibi

20. Quinto. Receptam semel accusationem Judex abolerere nequit, nisi de consensu Actoris Superioris Auctoritate, tunc vel maximè cum delatio ac punitio futura delicti ad evidens emolumenntum publici boni vergere dignoscitur. Sicut etiam legitimo Accusatore comparente, nequit Judex respuere accusationem, sed tenetur illam acceptare, & prout de Jure procedere.

21. Sexto Jn una accusatione seu Libello non possunt plures accusari, nisi plures ad idem delictum concurrerint, de pluribus autem delictis five ex eodem, five ex diversis factis resultant, idem accusari potest.

C A P U T XI.

Quæ circa Denuntiationem occurruunt scitu necessaria?

S U M M A R I U M

1. Quid sit Denuntiatio?
2. In quo differat ab accusatione?
3. Denuntiatio duplex est, una Evangelica, altera Judicialis.
4. Denuntiatio Evangelica quid prærequirat?
5. Quis finis Denuntiationis Evangelicæ seu Fraternæ? Ibidem. Quis finis Denuntiationis Judicialis?
6. Inhabiles ad accusandum nequeunt etiam denunciare Judicialiter.
7. Hinc Denuntiatio Judicialis in multis convenit cum accusatione.

7. Adversus Prælatos magni Nominis Viros Denuntiationes de facili non suscipiendæ.

Ibidem. Fraternè denuntians potest in Testem adhiberi, minimè verò denuntians judicialiter.

8. Denuntiatio Judicialis debet proponi in scripto.

Ibidem. In qua adnotari debet dies, & locus Denuntiationis.

Ibidem. Cum adnotatione Nominis Judicis, cui sit Denuntiatio.

Ibidem. Pariter debet adnotari Tempus, Locus, qualitas delicti, ac Nomen delinquentis.

Ibidem. Denuntians debet præmittere Juramentum de veritate dicenda.

Ibidem. Debet quoq; se subscribere Denuntiationi.

Ibidem Judex debet ponderare, an Causa sit ex suo Foro.

1. **D**enuntiatio est, Criminis alicujus apud Judicem sine inscriptione, legitimè facta delatio, ad pænitentiam peragendam, vel aliam pænam legitimam imponendam, vel etiam ad utrumq; *Ita Cap: Si quis Cap: illa.*

2. Hujusmodi autem Denuntiatio differt ab accusacione in multis. *Primò* quia Denuntiatio potest fieri per Literas, Accusatio, non; *Secundò*. In Denuntiatione non requiritur inscriptio, seu obligatio probandi objectum delictum sub pæna talionis, in accusatione sic. *Tertiò* procedendo per viam accusationis, Reus pæna ordinaria punitur, per viam autem denuntiationis mitiori. *Quartò*. Accusatio tendit ad vindictam, sive punitionem; Denuntiatio autem ad correctionem. *Quintò* Actor in accusatione potest appellare, casu, quo Judex aut male judicet, aut remisse agat, in denuntiatione minimè. *Sextò*, in denuntiatione, quæ fit ad puram correctionem Rei, Actor potest examinari, ut Testis, in accusatione non, prout patet apud Rodericum ex Alb. in Cap: licet: n. 2. de Accus: & alibi.

3. Cæterù n Denuntiatio duplex est, *Prima Evangelica*, seu Fraterna, & hæc respicit solam emendationem Fratris, & bonum delinquentis, ut resipiscat à Crimine. *Secunda Judicialis*, quæ respicit bonum privatum, nimirūm compensationem damni sibi illati, sive ex damno bonorum, ut in furto, sive in damno famæ, ut est in calumnia, vel etiam damni publici, prout evenire potest, quo ad bona temporalia, in casu dilapidationis bonorum Communium, aut quo ad bona spiritualia, ex accusatione publici scandali, ubi malō unus exemplō, denuntians timet apud sœculares, similiter judicari.

4. Denuntiatio Evangelica, seu Fraterna requirit, ut denuntians primò delinquentem moneat inter se & ipsum solum. Secundò verò coram Testibus, & si se non emendaverit, tunc dicat seu denuntiet Ecclesiæ, hoc est Prælato, nempe Superiori, juxta illud Matth: 18. ¶. 15. *Si autem peccaverit in te Frater tuus; vade & corripe eum inter te & ipsum, si te audierit, lucratus eris Fratrem tuum. Si autem te non audierit, dic Ecclesiæ.* Hoc autem sanō modō intelligi debet. Si enim denuntians probabiliter cognoscit se nihil profuturum per Paternam Correctionem, eā omissā, potest Fraternè denuntiare. Denuntiatio verò Judicialis non debet præmittere admonitionem & correctionem privatam, inter se & delinquentem Fratrem

5. Finis porrò Denuntiationis Fraternæ, est sola correcțio Fratris, ideòq; Superiorē tanquam Patrem Paternè corrigentem. Finis verò Denuntiationis Judicialis est emendatio delinquentis per pænalitatem, & ideo fit ad Superiorē tanquam Judicem.

6. Inhabiles ad accusandum, sunt etiam inhabiles ad denuntiandum judicialiter. Qui autem inventus fuerit habi-

lis Denuntiator, in Denuntiatione Judiciali, tenetur adnotare, tempus, locum, Crimen, & Testes nominare, quos deinde Judex ex Officio examinare debet. Quòd si facta Denuntiatione Denuntiator urget, ut Judex procedat ad puniendum delinquentem (in quo casu Personam Accusatoris sub titulo Denuntiatoris abscondit) tenetur Judex illum cogere ut se Denuntiationi subscribat, & ad probandum tanquam subdolus Accusator obligetur. Licet autem purus Denuntiator talionis pænae non subjaceat, quia non est Accusator, sed tantum viam aperit Judici ad inquirendum, tamen si falsum denuntiaverit, pæna extraordinariâ puniri debet. *Textus Legis.*

7. Adversus Prælatos Magni Nominis Viros, ab infimæ plebis hominibus Denuntiations nullò pañtō recipi debent, sed contra illos, ut plurimum per accusations procedendum est. Per Literas Missivas sine Nomine nullus Judex moveatur ad procedendum, alias Processus erit nullus. Canonice denuntians tanquam Testis, examinari potest, non vero qui denuntiat judicialiter. *Textus Legis.*

8. Ne autem quid hac in re desit, quæ sint de forma substantiali Denuntiationis, juridicè adnotanda putavimus, suntq; sequentia. *Primo.* Ut Denuntiatio detur in scriptis, vel si oretenūs detur, quòd per Notarium in actis redigatur. *Secundo.* quòd adnotetur dies & locus dictæ Denuntiationis. *Tertio.* quòd exprimatur Nomen Judicis, cui fit Denuntiatio, & hoc ideò ut sciatur, an Judex sit competens vel ne, *Quartò.* debet exprimi tempus, locus, & qualitas delicti, ac Nomen delinquentis. *Quintò.* Juramentum, quod debet præmittere Denuntians de veritate dicenda. *Sexto,* quòd qui denuntiat debet se subscribere Denuntiationi, vel saltim signum Crucis apponere si scribere nesciat. Ita passim Doctores uti Clas-

rus Quest: 12. V. Quero: sic & alibi. Passerinus Tribunal. Rei Quest: 9. Art. n. 10. & alibi. Septimò peniturb Ameno; quòd Judex persensa qualitate Denuntiationis & etiam delicti, si nempè est de suo Foro vel ne, admittat vel repellat denuntiantem, & Decretum ferat de formando Processu, vel non, prout fuerit de Jure, sed hoc potius spectat Personam Judicis, quam Denuntiationis negotium.

C A P U T XII

In quo consistat Formalitas Judicij?

S U M M A R I U M.

1. Quo servetur formalitas Judicij, quatuor sunt obser-vanda nimirum, modus procedendi; Præparatoria, Senten-tia, & Pæna.

2. Quid sit modus procedendi?

3. Quid Præparatoria importent?

4. Quid veniat nomine Sententiæ?

Ibidem: Quid nomine Pæna intelligatur?

5. Modus procedendi quadruplex statuitur.

Ibidem: Quis ille sit?

1. *Q*uo servetur formalitas Judicij, ex Lege, Judex qua-tuor omnino servare debet, videlicet, modum pro-cedendi, præparatoria, Sententiam & pænas.

2. Porro modus procedendi non sumitur hic complexè, hoc est prout complectitur formam, secundum quam se de-bet regulare Judex in omnibus suis actibus, uti in visitando corpus delicti, examine Testium, & Rei, sic enim modus pro-cedendi, non contra distingueretur à Præparatoriis, sed su-mitur initiativè, ita ut modus procedendi dicatur is, à quo initia-

initiatur Processus, seu quo supposito Judex se accingit ad formandum Processum.

3. Præparatoria verò sunt. Citatio Testium, & Rei, de. latio Juramenti, concessio Termini competentis, vel ad comparendum, vel ad probandum, Exceptiones, Definitiones, & Appellationes.

4. Sententia est decisio Judicis, quâ Judex finaliter concludit Causam, sive declarando Accusatum, aut Denuntiatum, vel diffamatum esse immunem, vel tandem illo convictio, eum declarando ad pæniam, quæ debet esse conformis, sive Canonibus Sacris, sive statutis sui Ordinis. Pæna verò est pænalitas assignata Reo, juxta proportionem delicti, & ad præscriptum Legis, juxta illud: *Juxta mensuram delicti, erit & plagarum modus.*

5. Cæterum modus procedendi, quadruplex statuitur, nimirū per Accusationem, Denuntiationem, Inquisitionem & Exceptionem. In Accusatione requiritur Accusator, in Denuntiatione charitativa monitio, quæ tamen non est es-sentialiter requisita, & potest omitti, ut dictum est Capite præcedenti, in Inquisitione. Infamia seu Diffamatio, in Ex-ceptione, legitima objectio, juxta quam divisionem Legis, qua-tuor viæ seu modi formandorum Processuum Juridicorum occurunt, quorum omnium Praxes ad finem Partis istius adjicientur. Interea cum de Accusatione & Denuntiatione satis præcedentibus dictum est, nunc quæ spectant Diffama-tionem & Exceptionem tractabitur, sequentibus verò de Te-stibus & Reo differetur.



De Infamia & Indiciis.

S U M M A R I U M .

1. Primis sæculis non procedebatur judicialiter in Cau-sis Criminalibus nisi per accusationem.
 2. Sequentibus autem temporibus introducta est via In-quisitionis seu ex Officio.
 3. Juxta decisionem Concilii Lateranensis.
 4. Hoc tamen modô Judex procedere nequit non pro-cedente fama vel infamia.
 5. Quid sit Fama?
 6. Fama nulla est, nisi procedat à Viris Honestis & non malevolis.
 7. Quare in principio Processus constare debet de Fama
 8. Cæteris paribus potius fama Proximi non est lædenda
 9. Clamorosa Insinuatio non nisi requiritur contra Præ-latos vel Communitates.
 10. Testes deponentes de Fama, tenentur scire & dice-re quid sit Fama?
 11. Fama satis plenè probatur, per duos Testes Conte-stes.
 12. Fama sic probata sufficit ad procedendum contra Reum.
 13. Quod quidem valet in omnibus Casibus.
 14. Quid sint Indicia?
 15. Indicia sunt triplicia.
- Ibidem* Unde illorum fundamentum sumendum?
16. Indicia gravia, quæ dicuntur?
 17. Indicia gravissima unde ortum habeant?

18. Omnia Indicia debent esse patetica & clara.
19. Quæ tamen nihil probant, nisi probata per Testes.
1. **P**rimis sæculis non dabatur modus procedendi crimi. **P**naliter in Judicio, nisi per accusationem, unde illud tritum: nemine accusante, absolvitur Reus, id est contra illum nequit procedere Judex, & sic Reus manet immunis, ac si esset absolutus plenariè à Crimine.
2. Postea verò ne Crimina manerent impunita defici-entibus Accusatoribus, de Jure etiam Communi, introduc-tum fuit, ut Judex possit per viam Inquisitionis procedere contra criminosos: vide Cap: 19. 29. & 24. de Accusat: & tunc dicitur Judex procedere, à se ipso, sive ex Officio.
3. Hinc Concilium Lateranense sub Innocentio III. in Cap: 24. de Accusatoribus, allegat triplicem modum Crimina prosequendi, videlicet, per Accusationem, Denuntiationem, & Inquisitionem.
4. Quia verò per viam Inquisitionis Judex procedere nequit, nisi præcedente fama, sive infamia, aut clamorosa Insinuatione, hinc quo nihil scitu dignum in negotio Judicij relinquatur omissum, de Infamia, & Indiciis, hoc Capite tractandum occurrit.
5. Fama igitur est communis opinio, non manifesta, ex suspicione proveniens. Quæ si versetur circa aliquod malum, hoc est malam actionem, dicitur infamia, quod si ad aures Superioris sæpius deferatur, dicitur clamorosa Insinuatio.
6. Hujusmodi tamen Fama seu Infamia, quæ viam pandit Inquisitioni nulla est, nisi ortum habeat à Viris Probris & honestis ac non malevolis.
7. Quare in principio Processus constare debet, saltim per duos Testes Contestes, quod aliquis sit infamatus de delicto. Quid autem nomine Testium Contestium intelligitur, dicitur sub Nomine Testium.

8. Duabus probationibüs oppositis, seu contrariis, de fama, quarum nimirūm una probat bonam famam Religio-**s**, altera verò malam, cæteris paribus bona malæ prævalet, eo, quia in dubiis tutior est pars eligenda, tutius est autem non lædere famam Proximi, quām contra illam insurgere.
9. Clamorosa Insinuatio non est necessaria, nisi quando procedendum est contra Prælatum, vel Conventum totum, aut aliquam gravissimam Personam, contra verò alios sola Infamia sufficit.
10. Testes deponentes de Fama, tenentur saltim ruditer declarare quid sit Fama, aliàs depositio non subsistit.
11. Cæterum tamen probatur plenè per Testes Conte-stes ad minus duos, (qui debent esse jurati) deponentes se audire de tali facto in Conventu, & signanter à tali & tali Religioso.
12. Talis autem Fama vel verius infamia illud operatur contra Reum, ut inducat opinionem & præsumptionem Ju-ris contra Ipsiū, ut Judex validè possit ulterius procedere, Testesq; ex Officio assumere, quibüs examinatis, si delictum & Actor ipsius pateat, Reum constituere, per Decretum pa-riter Interlocutorium ac postea ipsum Reum vocare ad exa-men valet.
13. Quod quidem in omnibus casibus & modis forman-dorum Processuum, servandum est, ut nimirūm primò ex-aminati Testibüs, postquam ex ipsorum depositionibüs clarè constiterit de delicto & Persona, terminato examine Testi-um, primò ponatur & Processui ingrossetur Decretum Inter-locutorium de Convictione & Constitutione Rei, antequam Reus vocetur, & constituatur coram Judice ad examen.
14. Quod verò attinet Indicia, hæc sunt maleficiorum signa, ex quibus Judex contra delinquentes ad inquirendum move-

moveatur, vel secundum Gaudinum Tit: de Præsumpt: Col. 1. sunt signa demonstrativa delicti,

15. Jndicia autem hujusmodi sunt triplicia, vel nimirum gravia, vel levia, ac demum gravissima. Levium Indiciorum nomine venit dictum Testis inhabilis, nisi per torturam inhabilitatis maculam abstergat, tunc enim non Jndicium, sed testimonium reputabitur. Secundò dictum Socii Criminis, quia tunc non est Testis, sed Denuntiator, nisi torturâ confirmetur, quia tunc facit Indicium grave vel vehementis. Tertiè Consuetudo delinquendi in eodem Crimine, secundum Reg. Juris, quia semper malus, præsumitur semper malus, nisi probetur per triennium cum laude vixisse, Quartò. Phisognomia mala, robur, timor, pallor, tremor, instantia, quæ solent sæpè esse fallacia Jndicia. Quintò Inimicitia non Capitalis nimis levis est, quodsi fuerit inimicitia Capitalis, etiam ad capturam Rei sufficit. Sextò Fama si emerserit à Viris probis & honestis est Jndicium sufficiens ad specialem Inquisitionem formandam. Et hæc quidem omnia dicuntur Indicia levia, quia solum sufficiunt Judici ad aperiendam viam Judicii, ut specialiter inquirere possit, non tamen constituere Reum, eo minus torquere, nisi aliis Indicis adjuventur, transeantque in gravis Indicis naturam.

16. Indicia gravia sunt Confessio extrajudicialis, vel facta sine vi & metu coram Judice incompetente, Scripturæ manu Rei factæ, ut Literæ amatoriae, minæ delictum præcedentes, à Viro improbo procedentes, sc̄cus si à Probo aliquo excandescente, tunc enim ad inquirendum tantum sufficiunt. Sequestratio solius cum sola, in loco suspecto, & obscuro, & obserat̄is forib⁹, aut nocturno tempore. Exclamatio Puellæ, vel offensi cum fuga vel pallore & tremore delinquentis, variatio, vacillatio, mendacium Rei, non stu-

pidi,

pidi, non oblivious, circa substantialia delicti, non tamen circa circumstantias. Fuga Rei post delictum & ante inceptam Informationem, vel etiam post, juncta famæ cum fractione Carcerum, nisi indebet detineretur probat delictum. Inventio rei furatæ apud aliquem, nisi probet unde habuerit, vel si sit bonæ famæ & rem publicè teneat. Hæc omnia Indicia quæ etiam dicuntur præsumptiones, sufficiunt ad inquirendum & constituendum Reum, imò & torquendum si negaverit.

17. Indicia gravissima, quæ etiam violenta dicuntur, sunt quæ ortum habent ex maximis & evidētibus conjecturis, ita ut moveant mentem Judicis ad certitudinem quandam moralem, quod Reus tale delictum commiserit, & nedum sunt sufficientia ad inquirendum & constituendum Reum, sed etiam ad condemnandum, ut si quis devestitus cum devestita in eodem loco deprehendatur, fornicatio præsumitur. Si quis stricto ense & sanguine consperso exeat de domo unam januam habente, in qua sit aliquis occisus, tanquam homicida condemnari potest, nisi aliqua defensione delictum minuat, & tunc pænā extraordinariā puniri poterit: exceptis atrocissimis /puta delictis/ quæ pænā ordinariā puniri debent. Cæterum circa Indicia ne quid desit, Lege sic disponente, licet Judici Indicia inter se copulare, quia Indicia ad invicem se juvant, unde licet unum Jndicium leve ad torturam non sufficiat, junctum tamen alteri sufficit.

18. Hæc tamen Indicia, quæ sufficiunt ad procedendum, debent esse luce meridiana clariora, certa & non dubia, non æquivoca, ut si proponatur scriptura, certo constet illam infallibiliter esse illius, qui putatur Reis, & per consensum soli deesse videtur Confessio Rei, secus Acta erunt nulla.

19. Ad ultimum omnia Jndicia cujuscunque sint generis, nulla reputantur nisi quodlibet ilorum, per duos saltim Testes, Contestes integros, probatum maneat. CA-

C A P U T XIV.
De Inquisitione.
S U M M A R I U M.

1. Quid sit Inquisitio?
2. Quotuplex sit Inquisitio?
3. In Inquisitione Generali à nullo Juramentum exigitur.
4. Neq; de speciali Persona, aut delicto occulto inquiritur.
- Ibidem* Commissarii tamen Generales, possunt specificè interrogare de vita & moribus Provincialis.
- Ibidem* Quemadmodum & Provincialis de vita & moribus Guardiani.
5. In Visitatione Generali convictus aliquis per duos Testes de delicto occulto, privatim est corrigendus.
- Ibidem* Convictus verò de delicto publico, publicè puniatur.
6. In Generali Inquisitione, nulla prærequiritur Infamia.
7. Inquisitio specialis quid sit?
8. Hæc necessario prærequirit infamiam vel clamorosam Jnsinuationem.
9. In quo differat clamorosa Jnsinatio ab Infamia?
10. In quibus Casibus non præcedente Infamia, procedi possit ad Inquisitionem specialem?
11. In Inquisitionibus specialibus, Testibus, Juramentum semper est proponendum.
12. In omnibus Inquisitionibus specialibus, Notarius ante omnia creandus sub nullitate Actorum.
13. Sub eadem nullitate debet priùs constare Judici de corpore delicti.
1. Inquisitio est incerta & occulta investigatio ejus, quod certo

certo cognosci debet, ut Judex justè judicare possit, & solvere vel ligare, ita Passerinus. *Trib: Regul: Quæst: 8. n. 1.* Dicitur itaq; Inquisitio, quòd sit Investigatio incerta, quia de ea non habet Judex aliquam certitudinem indicativam, sive de delinquentे, prout est in accusatione & denuntiatione, sive de delicto, & delinquentе, simul, ut est in Inquisitione Generali, dicitur tandem ut Judex rectè judicare possit, & solvere, vel ligare, & hic exprimitur causa finalis Inquisitionis, quæ non debet esse sola ligatio, sed etiam solutio, hoc est absolutio Rei, ad quam (salva Justitia) semper prorior debet esse Judex, ut dicitur in *Digestis. L. inter pares. ff. de re judicata.*

2. Inquisitio sic definita triplex est. *1ma* dicitur Generalis, quæ respicit omnia delicta & omnes Personas. Fit enim talis Inquisitio, tūm in Capite, ut videatur si sanum est, congruerter regat; tūm in Membris, ut sciatur, si per obedientiam Capiti adaptantur. Spectat ad Generales Visitatores Provincialium, vel eorum Commissarios in Visitationibus Paternis & Ordinariis. Et Provinciales in Visitationibus consuetis generalibus, & talis Inquisitio ordinariè spectat ad Superiores, ut Patres. *Secunda Specialis*, quæ instituitur à Prælato, ut Judice excitato à fama aut clamorosa Jnsinuatione, aut Accusatione, aut demùm Denuntiatione, contra speciales Personas de certis Criminibus infamatas, accusatas, aut denuntiatas. *Tertia est mixta*, & hæc vel est specialis quo ad Personas, & generalis quo ad delicta, ut cùm Fratres alicujus Conventus infamantur de transgressionibus Regulæ, eæ autem transgressiones ignorentur, & talis Inquisitio competit Superiori ut Patri, & non ut Judici, vel generalis quo ad Personas, & specialis quo ad delictum, ut dum à Judice cognoscitur Crimen, sed Reus, seu Author Criminis ignoratur.

3. In Inquisitione Generali, nempè Paterna, Judex seu verius Prælatus, à nullo Juramentum exquirere debet, potest tamen quemadmodum Episcopus in Visitatione, ut ait *Barbos in Concil: Trid: Sess: 4. de Refor: Cap: 4. n. 11.* Si id aliquando expedire judicaverit, debet tamen monere subditos, & per Sanctam Obedientiam præcipere, ut dicant, quæ DEI gloriam & candorem Religionis concernunt, dummodò occulta non sint. Ita *Textus Legis.* Subditi verò sub culpa violatae Obedientiæ & poenis arbitrariis delicta notabilia, quæ sciunt, Prælatis visitantibus revelare tenentur.

4. Cum autem Generalis Inquisitio respiciat omnia delicta & omnes Personas, ideo ne in Generali Inquisitione de speciali Persona vel delicto occulto inquirat, cavere debet omnino Judex, sub nullitate Actorum, in quo casu Subditus quibusvis præceptis adactus respondere non tenetur, Ab hac tamen exceptione Provinciales excluduntur, ad quos Syndicandos destinantur Visitatores, unde illis, intellige Visitatoribus integrum erit (puta Jus) de Provincialium regimine in genere & in specie inquirere nominatum, etiam nulla infamia præcedente, non tamen ad illorum mores & vitam descendendo. Quod etiam intelligi debet de Guardianis respectu Provincialium, ad quos exsyndicandos Provinciales instituti sunt. Poterunt etiam Visitatores Provinciarum de Prædecessore immediato generaliter inquirere, ut hac ratione in suo munere cauiores incedant, Cæterum occultum in Jure illud dicitur, quod licet duobus vel tribus Testibus notum sit, de illo tamen nulla existit infamia.

5. Quod si in Generali Inquisitione, aliquis fuerit convictus de delicto occulto, per duos vel tres Testes, non publicè, sed privatè coram iisdem Testibus puniendus erit, nisi atrox delictum esset, cuius correctio publica cæteris trans-

ret

ret in exemplum, Idem erit Judicium de delinquentे, qui antequam infamatus vel accusatus maneat, spontè suum delictum Superiori aperuit, etiamsi postea fuerit accusatus.

6. In Generali Inquisitione multa prærequiritur infamia quodq, in illa ad Prælatum defertur, tanquam ad Partem, in specialem Inquisitionem deduci non potest (nisi infamia accesserit, ex qua, ut Judex velit procedere ad formalium Processum) sinsecus Paternè omnia erunt corrigenda.

7. Porrò specialis Inquisitio est investigatio certi delicti, & certi delinquentis, facta à Judice in ordine ad publicam vindictam, & in hoc differt à generali, quia generalis est & de delicto & delinquentे incerto. Specialis verò est, vel de certo delicto & delinquentе simul, vel saltim de delicto certo, incerto delinquentе, & tunc erit speci.s Inquisitionis mixtæ.

8. Hujusmodi autem specialis Inquisitio passim originem habere solet ex Visitationibus generalibus. Quo autem hujusmodi specialis Inquisitio ex generali deduci possit, necessario prærequiritur Infamia, in tantum, ut nisi hæc præcesserit per duos saltim Testes legitimos, initio Processus probata, nullò modō fieri potest, & Ad ea aliter facta nulla sunt, vel saltim clamorosa Insinuatio, quæ etiam initio Processus primò probari debet, & sufficit ad valorem Processus.

9. Cæterum clamorosa Insinuatio differt ab Infamia per hoc, quod infamia est tunc, quando in familiari colloquio publicè de aliquo delicto instituitur sermo. Clamorosa verò Insinuatio est illa, quando de aliquo delicto privatim Superior admonetur à quibusdam vel per iteratas Literas de tali facto docetur. Ita *Passerinus Cap. 1. n. 22. de Accusat. in 6. & Trid. Reus Quest. 8. n. 8.*

10. In Casibus verò mox specificandis etiam non præceden

I

cedente Infamia, Judex descendere potest, ad Inquisitionem specialem. *Primo* Si sint delicta exceptuata, quæ supra recensuimus. *Secundo* Si Crimen in Judicio committitur, ut dum Testis falsum deponit, vel Actor calumniosè agit. *Tertio* Si delictum sit notorium. Jam verò notorium illud dicitur, quod fit publicè, & nulla tergiversatione celari potest. *Quarto* Si habetur Confessio Judicialis facta cum Juramento, sive fit coram Judice competente, sive non, sive facta ex professo, sive incidenter, sive fit delicti circumstantia, sive aliud delictum. *Quinto* Si Indicia sunt evidentia patrati delicti, & congruerter probata. In his enim omnibus Casibus sine præcedente Infamia procedi potest. Sicut etiam dum per Accusationem, Denuntiationem, Exceptionem inquiritur.

11. Inventa legitate procedendi viâ Inquisitionis specialis, Juramentum Testibus est exhibendum. Sacerdotibus quidem tacto pectore, reliquis verò tactis Sacris Scripturis, secus Acta sunt nulla.

12. Antequam descendatur ad specialem Inquisitionem pro formando Processu, quemadmodum in omnibus aliis aëtibus, ad contentiosum forum spectantibus (Paterno foro excepto) Judex debet sibi creare Secretarium vel Notarium ex Indulto Apostolico, qui omnia Causæ merita inscripta redigat, à quo Juramentum fidelitatis exigat, idq; in præsentia saltim duorum Testium, quæ omnia initio Processus ingrossentur, his enim non servatis Processus erit nullus. Penes autem hujuscemodi Notarium debent manere omnia Acta Processus, donec ille terminatur, quo finito reddantur Judici qui illa diligenter examinat, an in aliquo non fuerint viatiata.

13. Sub eadem nullitate ad specialem Inquisitionem devenire nequit, nisi prius constet plene de corpore delicti.

CA.

De Exceptione.

S U M M A R I U M.

1. Quid sit Exceptio?
2. Quæ sint species Exceptionis?
3. Alia divisio Exceptionum adducitur in Civilem & Criminalem.
4. Exceptio Civilis quis sit?
5. In Civili Exceptione deficiens Actor in probationibus, non incurrit pœnas talionis.
6. Nisi Exceptio sit proposita contra Electum.
7. Exceptio Criminalis quid sit?
8. In Exceptione Civili, uno Processu omnia terminantur.
9. Exceptio an sit Civilis vel Criminalis? dignoscitur ex Libello Excipientis.
10. Interdum ex Civili Exceptione oriri potest Criminalis.
11. Exceptio contra Eligendum non debet admitti ipso die Electionis.
- Ibidem.* Nisi probationes brevissimo tempore expediri valeant.
- Ibidem,* Criminalis verò nullo modo admittenda.
12. Excepto etiam Exceptione Civili defensiones concedendæ.
13. Libellus Exceptionis, quæ in se continere debeat?
14. Quæ sint fundamenta legitimæ Exceptionis?
15. Qui possint excipere contra Eligendum?
1. Exceptio definiri potest quod sit *Actus Juridicus* per quem

Iz

quem aliquis repellitur ab aliquo faciendo, obtinendo, vel possidendo. Actus iste aliter dicitur oppositio, quam aliquis proponit, puta Actor vel Reus. Oppositio autem hujusmodi est directa ad repellendam aliquam Personam, à faciendo aliquid, uti Judicem à judicando, Actorem ab accusando, Testem à testificando, Notarium à scribendo, peritum Consiliarii, Arbitrum, à Muneribus suis in aliqua Causa: vel *obtinendo*, ut quando Exceptio proponitur contra aliquem ne ad Prælaturam eligatur, vel *possidendo* aliquo, quando nimis, in tempore debito excipitur contra Electum, ut non confirmetur, vel post Confirmationem, ne Prælaturam adeptam possideat.

2. Porrò Exceptionum plures sunt species, aliæ enim sunt dilatoriæ, aliæ peremptoriæ, aliæ inducæ à rigore Juris, aliæ à naturali æquitate, aliæ sunt in rem, aliæ in Personam, quas qui videre cupit, adeat *Hæsiensem Sum. Reg. de Except.* V. Quæst. Sit Except. n. 2.

3. Quia verò prædictæ divisiones parùm faciunt ad rem nostram seu Tractatum de Regularibus, hinc omisis illis, aliam divisionem Exceptionis statuimus, nimis in Civilem & Criminalem.

4. Civilis est dum repellitur aliquis ab aliquo, & nihil aliud intenditur, praeter ipsius repulsionem sine ulla ipsius punitione. Talis est Exceptio Judicis, Actoris, & Testis. Notarii periti, Assessoris, Consiliarii, Conjudicis, ut est Custos Provinciæ & Definitores. Primo modo excipitur Electus vel eligendus ad Prælaturam in Religione, contra quem adducitur Inabilitas, puta ex defectu scientiæ, ætatis, Natalium; vel Exclusiones, ut quod sit excommunicatus, infamis, inimicus, corruptus. Quæcunq; enim talis Exceptio si probetur, quo i nempe Judex vel Testis sit Inimicus, Infamis, Excommunicatus,

municatus, statim repellit Judicem, ne judicet, Testem ne testetur, Notarium ne scribat. Nulla tamen illis neq; Ordinaria neq; Extraordinaria pæna imponitur.

5. Cum itaq; in Exceptione Civili, Excipiens non intendat Exceptio pænas, hinc si deficiat in probationibus & Exceptione, nullas pænas subire debet, sed si quid malitiâ forte deliquerint, satis ei sit, quod sub talibus remaneat, quos rejicebat, puta sub judicio Judicis, vel testimonio Testis.

6. Aliter loquendum est de Exceptione contra Eligendum, taliter enim Excipiens, si excipiat contra Electum postquam defecerit in probationibus pænâ arbitriâ erit puniendus, si verò contra Eligendum mitiori aliquâ multandus, quo falsis criminibus aditus præcludatur. Turpius enim ejicitur, quâm non admittitur hospes, & ideo qui contra Eligendum excipit, mitius est puniendus, quâm qui contra Electum.

7. Criminalis verò Exceptio est, quando Excipiens non tantum intendit excludere aliquem ab aliquo, sed & puniri Exclusum de objectis criminibus & probatis, in quo casu Excipiens natu am Accusatoris induit, & ideo si defecerit in probationibus, hoc est si legitimè non probaverit objecta, Excipiens puniri debet pænâ talionis.

8. Exceptio si sit Civilis uno eodemq; Processu omnia erunt terminanda, si verò Criminalis, dupli, ultra enim Processum, qui formatus est circa Exceptionem, alter erit formandus pro punitione.

9. Exceptio an sit Civilis vel Criminalis, id deducitur ex inscriptione Excipientis, si enim Excipiens in suo Libello solum prætendat amotionem, Exceptio censenda est Civilis, si verò instet una simul pro pænis, Criminalis Exceptio est dicenda.

10. Quia verò etiam ex Civili Exceptione oriri potest Crimi-

Criminalis, tunc nimirum, quando Excipiens excipit aliquem nonnisi amovendo sine ulla exigentia poenitatis, sed cur excipiat, seu pro causa Exceptionis, adducit aliquid criminosum, quod ubi probaverit, Judex ex Officio procedere debet, puta si Cagus excipiat Titium à testificando, ex eo, quia ipse est perjurius, vel infamis infamia facti, si haec probaverit, Titius nedum amovendus erit à Testimonio, sed etiam contra illum Judex procedere deberet ex Officio, sed hoc nonnisi per alium Processum, distinctum à primo, qui erat fine solius Exceptionis

11. Contra Eligendum in ipso Electionis die, Exceptio non debet admitti, nisi tam in promptu adsint probationes, ut brevissimo tempore expediri possit Exceptio, Criminalis verò nullomodo audienda, sed suis dilationibus agitari debet, ut & Exceptor probare, & Reus se tueri valeat, & hoc ad arcendam malevolorum vesaniam, qui si forte sciant aliquos defectus Fratrum, celant illos in Canonicis Visitationibus, ut postea in plurimum facie plus confundant, Excipientes serio debent examinari à quo tempore id sciant, & nisi probaverint se non pridem id didicisse, erunt puniendi conformiter ad Textum *Tit: Inquisitio* §. 6. ubi tales declarantur infames, & perpetuo actibus legitimis privati.

12. Demum quia etiam in Exceptione Civili, aliquatenus damnificatur Exceptus; seu qui excipitur, hinc antequam declaretur Exceptus, vel non, defensiones illi dandae sunt, hoc enim Legi naturali ut plurimum est consonum. Quodsi Exceptus per Exceptionem nullum damnum patitur, puta si excipiatur Cagus à testimonio, quia est Frater Pauli Actoris, licet aliunde Reus dicat se nosse Cagi intaminatam vitam, tunc frustaneæ essent defensiones. *Ita Clement. Pastoralis* §. *Ceterum de Sent. & re Judic.*

13. Porro forma Exceptionis seu Libellus debet contine-re Tempus, Locum, & Personam. Tum Excipientis, tum Prælati seu Judicis, coram quo proponitur Exceptio. Tum etiam ejus contra quem excipitur. Item fundamentum seu causa Exceptionis, ut potè quod non habeat ætatem requi-sitam, quod sit inhabilis vel ratione alicujus Status corporis, vel alicujus facti, pariter debet assignare Testes, vel producere Instrumenta authenticæ ad probandum. Tandem debet exprimi petitio, quæ in Civili Exceptione versatur tan-tum circa repulsionem à Dignitate obtainenda, aut exercen-da. In Criminali autem addit Instantiam, ut de Crimine ob-jecto puniatur juxta Leges. Ad ultimum debet jurare Ex-cipientis, quod non animo calumniandi, neq; malo zelo du-catur ad sic excipiendum. Tandem Libellus ita conscriptus debet Judici coram Notario & Testibus præsentari, ut fit in accusationibus, utriusq; istius Exceptionis Exempla adduce-mus in Formulario huic Parti adjiciendo.

14. Quæ autem sint fundamenta legitimæ Exceptionis contra eligendum ad Prælaturam, jam supra abundè dictum est in Caput 6. Qui Judices esse nequeunt, & ideò hic non putamus repetenda.

15. Quis verò possit excipere contra Eligendum, dico hac in re neminem exceptuatum manere, præter Excommunica-tos, prout habet *Gloss. in Cap. super. in verb. Accusatione. Ubi Abb. n. II. de Accusatione Cap. Cum inter Cap. Dilecti de Exceptione.* Hinc etiam inhabilis ad accusandum, est habilis ad excipi-endum tam Civiliter, quam Criminaliter. Ratio verò quam ad-ducit *Innocentius Cit. ab Abb.* est quia quilibet quamvis inhabi-lis admittitur ad accusandum quando prosequitur suum inter-esse, Subditus autem excipiendo contra eum, qui futurus est su-us Prælatus prosequitur proprium interesse. Expedit enim non solum

solum toti Reipublicæ, sed & cuilibet habere Prælatum idoneum & irreprehensibilem, unde concluditur per hoc, quod quilibet de Provincia potest excipere contra eligendum in Provincialem, & quilibet de Conventu contra eligendum in Praelaturam Localem, ubi est moris à Communitatibus eligi Locorum Superiores. Ita Abb. in Cap. Super his n. 21. de Accus. sat.

C A P U T . XVI.

De Corpore Delicti.

S U M M A R I U M .

1. Non cognito Corpore delicti nequit formari Processus.
2. Quid veniat nomine Corporis delicti?
2. Quotuplex sit Delictum?
4. Quomodo de illo constare possit?
5. Judex tenetur per se visitare delictum permanens.
6. Nec non adhibere scientificos ubi id Causa exigit.

1. Postquam præcedentibus deductum est, nullum Processum juridicum posse habere aliquid roboris, sine præcedenti inspectione, & sufficienti probatione Corporis delicti, quo omnia ad plenum deducantur, præsenti Capitulo de Corpore delicti tractandum occurrit.

2. Corpus autem delicti licet sit delictum commissum, hic tamen potius sunitur, & definitur sic: *qui sit iudicis inspectio delicti, si est facti permanentis, vel probatio, puta per Testes, quod tale delictum commissum est, si sit facti transiuntis.*

3. Delictum enim dupliciter considerari potest, vel ut permanens post factum, ut vulnus, fractura, vel transiens, ut Injuria, Blasphemia, Fornicatio. Ante quamcunque Informationem

tionem aliam juridicam, tenetur Judex inquirere de corpore delicti, & facere constare, quod delictum commissum sit, Processus enim in quo non constat de corpore delicti præsertim facti permanentis, omnino est nullus in tantum, ut si ex ipso constitutus sit Reus etiamsi confessus fuisset, nihil illi nocere posset confessio.

4. Porro constare de corpore delicti, non solum potest Judici per visum & repertum, sed etiam per Testium deductiones indicia, & legitimas præsumptiones. hæc enim omnia sunt sufficientia ad hoc, ut dicatur probatum corpus delicti prout videri potest apud Ludovicum ab Ameno P. 1, Tit. 10. fol. 247. & sequentibus.

Tunc enim dicitur constare corpus delicti permanentis, quando Judex visitat coram Testibus, cadaver, vulnus, incendium, & scribi mandat repertum esse tale delictum. Corpus vero delicti transiuntis cum videri non possit, sufficit videri, & de illo constare per Indicia & conjecturas, quæ probent commissum esse delictum. Si enim procedit ad instantiam Partis, satis est, si Judex examinet Testes capiendo informationem contra Reum, quæ unico contextu probent delictum esse commissum.

6. Ubi ad examinandum corpus delicti opus fuerit Medicō, Hirurgō, vel aliō quopiam peritō, illi omnino & per omnia adhibeantur. Horum enim decisio jurata multum potest, sive alleviare, sive aggravare Causam Rei. Sine autem juramento nihil ominia valent in Juridicis Processibus.



L E S T S E C
C A P U T XVII.

De Testibus.

S U M M A R I U M .

1. Quid sit Testis?
 2. Testes potiori Jure dicendi absolvere vel condemnare Reos.
 3. Qui à ferendo testimonio excluduntur?
 4. Socii Criminum in Casibus exceptuatis possunt testificari.
 5. Similiter Mulieres ubi veritas aliter probari nequit.
 6. Parî modô & Laici Sæculares.
 7. Prius tamen Juramentum debent deponere.
 8. Eodem modo sententiandum de Clericis Sæcularibus.
 9. Testes habiles quotuplices?
 10. Testis varius, seu varians quid?
 11. Testes discordes quid?
 12. Testes ambigu quid?
 13. Testes vacillantes qui?
 14. Testes falsi qui?
 15. Testes omni exceptione majores qui?
 16. Testes singulares qui?
 17. Testes Contestes qui?
 18. Duo Testes Contestes omni exceptione majores sufficiunt ad convincendum Reum.
 19. Interdum requiruntur plures.
 20. Testis quicunq; debet citari.
- Ibidem.* Debet esse Juratus.

Jbi-

De Testibus

75

Ibidem. Debet habere notitiam Personæ, delicti, nec non temporis, loci delicti.

Ibidem. In principio Examinis Testium, adnotari debent eorum Nomina, Cognomina, Anni ætatis, & Religionis item Status, Gradus & Conditio.

21. Testes officiosè interrogati, tenentur testari.

22. Testibûs examinatîs quid Judici agendum?

1. **T**estis, est Persona officiosè assumpta, sive ab Actore adducta ad stabiliendam veritatem, sive delicti defacto perpetrati, sive innocentiae. Dicitur *Persona ex officio assumpta*, nam ad testificandum præsertim in Criminalibus Judiciis Testes etiam cogi possunt. *Ex Cap. cum super. Cap. cum Contra. de Test.* Dicitur *ab Actore adducta*. Actoris enim est semper testes nominare & adducere. Dicitur *ad stabiliendam veritatem* sive delicti defacto perpetrati, nam quantumcunq; clamet Actor, si Testes non adhibeat, Reus innocens censendus & factum quantumvis, pro non facto reputandum est, in ore enim duorum vel trium Testium, stat omne' verbum Matth. 18. & non in ore Actoris, vel Accusatoris, aut Excipientis. Dicitur sive innocentiae. Testes enim non solum ab Actore vel ab Officio addici possunt, sed etiam à Reo ad declarandam suam innocentiam, prout potissimum evenit in Processibus emundatoriis.

2. Quia autem ut dicit Textus Munus Testium publicum est & ex ipsorum depositionibus totum Judicij robur dependet, unde Indiciorum & probationum fortitudo dimanat, ita ut Testes videantur quodammodo potiori Jure, sive Reos declarare & punire, sive insontes absolvere. Siquidem juxta communem Doctorum sensum, Judex quemadmodum nequit Reum condemnare, quem privatâ scientiâ scit nocentem, si publicè Testium testimoniô ostendatur innocentem.

K2

nocens.

nocens. Ita pariter nequit absolvere & innoxium declarare, quem privatâ scientiâ scit innocentem, si publicâ scientiâ puta per Testium depositiones illum agnoscat nocentem Ideo ex Jure communi in utroq; Foro non omnes ad testificandum admittuntur.

3. A Testimonio itaq; ferendo contra Reum, excluduntur omnes illi, qui accusare non possunt, nisi Criminis immanitas, difficilisq; probatio aliud suadeat. Cæterum neq; in casibus exceptuatis Testes esse possunt, omnes illi, qui Jure Divino vel naturali à testificando reiiciuntur, suntq; sequentes: Hæretici, Apostatae, in Fide suspecti, publicè Criminosi, falsi Testes, hoc est, qui alias de testimonio antecedenter sunt notati, Conspiratores, Calumniatores, Infames, Inimici etiam non Capitales, & si jam reconciliati, Inimicorum Consanguinei usq; ad quartum gradum, eorumq; nimium Familiares, Fautores, Procuratores, Advocati, Furiosi, suspecti, Excommunicati, nisi prius absolvantur juxa Ludovicum ab Ameno, admitti quidem possunt ad defensionem Testes inhabiles, tamen eorum probationes Judicis arbitrio relinquentur. quod idem est ac si nihil valeant, cur igitur non sit decidendum generaliter Testes inhabiles, ut omni casu manere tales. *Ita habetur Cap. Testes. 2. Quest. 7. Cap. Constituimus 3. Quest. 5. Cap. Beatus & sequentibus.*

4. Porrò Socii Criminum quemadmodum possunt esse Actores in Criminibus exceptuatis, uti Hæresi, maleficio, fortilegiô, Sodomiâ, furtô famosô, Crimine læsæ Majestatis, ita pariter in ejisdem Criminibus possunt esse & Testes. Imo ut asserit Kierchove, etiam in omnibus criminibus, quæ sine Socio committi non possunt, ut sunt peccata Carnis & similia.

5. Mulieres autem licet ob fragilitatem sexûs & ingenii muta.

mutabilitatem de Jure Communi repelluntur à testificando, uti videre est: *Cap. Mulieres. 33. Qu. 5.* tamen ubi veritas alter haberi non potest, & Justitia periclitatur, Mulieres & Moniales, Testes esse possunt, prout docet Rodericus. *Tom. 29. II. Art. 3.* Hinc cum delicta Monialium regulariter probari non possint, nisi per Moniales, admittuntur in Testes in Causis inter ipsas versantibus, Semper tamen Mulieribus minor fides adhibenda est, quam Viris, hinc licet duo Testes Viri sufficient ad condemnandum Reum, Mulieres debent esse plures, & in hoc casu supplebitur defectus fragilitatis per Testium pluralitatem.

6. Similiter Laici sacerdtales, licet de Jure Communi testimonium ferre non possunt, adversus Clericos, tam Sacerdtales, quam Regulares, *Cap. de Cetero de Testibus & apud Rod. super Art 5.* Tamen Laicos posse quandoq; admitti in Testes, etiam in Criminalibus contra Religiosos, plures sentiunt, & non dissentit Rodrigues in casu, ubi delictum de quo inquirendum est, aut accusatur Religiosus, in illo continget loco, in quo non essent Religiosi, sive ejusdem, sive alterius Ordinis, ne alioquin Religiosi liberius delinquant coram sacerdtales, delicti commissi impunitatem sibi promittentes, & generaliter loquendo ubi delictum aliter probari nequit, ut tradit Lessius Lib. 2. Cap. 30. n. 41. ex Cap. final. de Testibus.

7. Ubi autem sacerdtales admittuntur ad testificandum contra Regulares, debent rogari, ut deponant Juramentum, quodsi noluerint; recursus est faciendus ad Judicem, sive Ecclesiasticum, sive Sacerdotalem, ut illos cogat ad Juramentum, alias depositiones illorum nil probabunt, & pro nullis erunt reputandæ.

8. Eodem modo admitti possunt Clerici Sacerdtales, aut Religiosi alterius Ordinis, ad testificandum contra Religiosos,

sos, in Criminalibus, ast nonnisi prævia licentia Prælati sui Ordinis, ut advertit *Ludovicus ab Ameno*; qui etiam examinari non debent, nisi prius deponant Juramentum.

9. Et hæc sint satis quo ad Testes inhabiles. Quod autem attinet Testes alioquin habiles, hi multifariè sumuntur, & appellantur, nimirūm, Varii, Discordes, Ambigui, Vacillantes, Falsi, singulares, Testes, Contestes, seu Concordantes, ac omni exceptione Majores, circa hos omnes multa occurunt scitu digna, quare ne quid intactum remaneat, breviter quidem, attamen de singulis differemus pro quo sit.

10. Testis varius seu varians putatur ille, qui varia deponit, sive in eodem, sive in variis examinibus, puta si primò se dicat de hoc facto nihil scire, postea verò afferat illud sibi apprimè notum, vel si primo dicat se id credere factum, postea confitetur, id certo & indubitanter nosse, vel primo testimonium affert, deinde se deposuisse negat, vel aliter extrajudicialiter loquitur, aliud, vocatus ad Judicem fatetur. Et tales Testes juxta Commune Aphorisma nihil probant, nam Testis varians non est audiendus. Imò si talis Testis non adducat causam rationabilem suæ variationis, manet puniendus, ut suspectus de perjurio. Ita *Sanchez Lib. 6. Consil. Cap. 5. dub. 13. n. 2.*

11. Testes discordes dicuntur illi, qui diversa sive contraria deponunt, quæ inter se coaptari minimè possunt. Hoc autem dupliciter contingere potest, sive nimirūm in Testibus, qui pro eadem Parte examinantur, puta Actoris vel Rei, sive in Testibus diversæ Partis, ut si Testes pro parte Actoris adducti diversa deponunt, à Testibus à parte Rei constitutis. In quo Regula sit generalis, quod si Testes ejusdem Partis sint discordes in accidentalibus, puta si unus dicat die 6. Februarii hoc delictum fuisse commissum, alter verò afferat

id

id contigisse die 5. vel 7. unus nubilosam diem, alter verò serenam eo temporis fuisse, vel discordant de loco, eorum depositiones relinquunt prudentiæ Judicis, quod si discordent in essentialibus, pro nihilo erunt reputandæ. Ita *D. Thomas 2:2. Quæst. 70. Art. 2. ad 2.* Jam verò aliter est sentendum de Testibus diversæ Partis, nam si Testes adducti pro Reo dissenserint à Testibus adductis, pro Actore vel ex Officio, & sint numero pares ac dignitate, standum erit Testibus pro parte Rei adductis, quia Judex pronior esse debet ad absolvendum, quam condemnandum, ut dicitur *de Reg. Iuris in 6. Reg. 11.* & ita tenet *D. Thom. loco supra citato.*

1. Testes ambigui sunt illi, qui verbis ambiguis & confusè deponunt, puta ita videtur, vel forsitan ita est factum, & similia, ita, ut ex illorum depositionibus nihil clarè & aperte colligi, multominus concludi possit, & tales Testes nihil omnino probant, in Jure enim nonnisi claritas, & evidētia, locum habent, incerta autem & ambigua, pro nihilo reputantur. Ita *Gloss. in Cap. Si Testes 4. Qu. 3. v. simpliciter.*

13. Testes Vacillantes dicuntur illi, qui vacillanter depoñunt, puta dicendo hōc idem similī modō, vel vidi ibi, imò ibi, vel potius ibi, fecit sic, vel potius sic, & talis Testis si semel se corrigat, dicens imò ibi, vel imò sic, quasi primum dictum ex incontingenti corrigens, non vacillat & probat sufficienter. Si verò replicaverit, vacillans est reputandus, & ut nil probans, rejiciendus. Cap. *Si Testes 4. Qu. 2. & 3. ibi Testes.*

14. Testes falsi sunt, qui jurati veritatem fateri nolunt, sed aut negant, aut occultant, aut contrarium fatentur, & tales nihil probant, gravissimè autem peccant. *Juxta August. Cap. 1. de Crimine falsi, ubi habet. Falsidicus Testis tribus Personis est obnoxius. Primum DEO, cuius presentiam contemnit, deinde*

inde *Judici*, quem mentiendo fallit. Postremo innocentis, quem falso testimonio laedit, uterque Reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodeesse non vult, & iste nocere desiderat. Et tales Testes manent necessario puniendi, & quidem graviter. Et ultra hoc, in subsequens quoq; tanquam despectus à ferendo testimonio manet repellendus. *Juxta Reg. Juris in 6.* Semel malus semper præsumitur malus. Scilicet in eodem genere mali. Tenetur insuper falsus Testis in conscientia ad resarcendum damnum Proximo illatum per falsitatem.

15. Testes omni exceptione maiores sunt illi, qui tam integræ sunt fidei, ut nulla legitima exceptione repelli possint, & de ipso facto ex certa scientia deponunt, unus talis Testis facit probationem semiplenam, etiam in Criminalibus, & sufficit ad torturam, licet nulla alia indicia concurrant. In dubio autem, an Testis sit omni exceptione major, talis præsumi debet, si contra illum nil opponatur. Quilibet enim præsumitur bonus, nisi certo constet de opposito, & hæc est communis doctrina.

16. Testes singulares sunt, qui super diversis factis depo- nunt, ita, ut quilibet illorum singularis sit in suo dicto, puta si unus dicat Petrum commississe furtum, alter vero quod per- cussit Joannem, vel unus dicat tale delictum fuisse perpe- tratum domi, alter in via & similiter. Et tales Testes in nullo casu sufficere possunt ad convincendum Reum, multò magis condemnandum, nam juxta rigorem Juris, nemo plenè convinci aut condemnari potest ad pænam ordinariam in Criminalibus, nisi ad minus per duos Testes Contestes le- gitimos, & omni Exceptione maiores. Testes autem singu- lares semper sunt singulares. Ita S. Thom. & alii communiter. Et patet Cap. licet universis, de Testibus, & Attest. Cap. licet causam de Probat.

17. Testes autem Contestes sunt, qui de eodem facto, loco, tempore, Persona, aliisq; circumstantiis ad facti substantiam pertinentibus & necessariis deponunt, puta si duo probatæ vitæ Viri deponunt se vidisse, quod Petrus dederit alapam Paulo in dormitorio, die 9. Februarii hora media decima ante meridiem, & licet in accessoriis forte discordent vel in aliquibus aliis ad facti substantiam non pertinentibus, ob id illorum testimonium non debilitatur, si in facti substantia fuerint concordes, quin potius firmatur, & credibilis efficitur, ut ait D. Thom. *super*. Si enim in omnibus con- cordarent etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre, & ideo præsumi possent esse conspiratores, quod tamen prudentiae Judicis relinquitur discernen- dum.

18. Duo tales Testes Contestes omni Exceptione maiores sufficere ad plenè convincendum Reum, constans est, tūm Theologorum, tūm Jurisperitorum sententia Juri na- turali & Divino conformis, uti Deut. 19. ubi habetur: *In ore duorum vel trium Testium, stabit omne verbum, quod idem docuit Christus Matth. 18. inquiens: in ore duorum vel trium Te- stium stet omne verbum, & Joan. 8. Duorum hominum testimoni- um verum est.* Ideòq; Jure Gentium apud omnes Nationes receptum est.

19. Tandem in quibusdam Casibus possent Jure positi- vo plures Testes exigiri. Sic Jure Cæsareo in Testamentis a- pertis, requiruntur Testes quinque, in obsignatis 7. in Codicillis 5. hoc autem apud nos non est in usu. Similiter *Jure Ca- nonico Cap. Praeful. 2. Qu. 5. & seq. ad condemnationem Episco- pi* five fit Cardinalis, five non, requiruntur Testes 72. Presby- teri Cardinalis 44. Diaconi Cardinalis 27. Subdiaconi, Acoly- thi, Lectoris, Exorcistæ, 7. Et licet iste numerus Testium mo- Pars II. L do

do non sit in usu, minorq; sufficiat, monet tamen *Rodericus sup. Qu. 13. Art. 1.* quod licet ad condemnandos Prælatos Regulares simpliciter loquendo sufficiente duo Testes Con-testes, cautiè tamen debent procedere illi, qui in illos inqui-runt, dum aliquod delictum illis imputatur, sunt enim Præ-lati signum cui ab omnibus contradicitur, unde ait Rodri-ques: *Non condemnarem ego eos ad pñnam ordinariam propter duos tantum Testes, nisi causa facti & circumstantie Personæ aliud po-stularent.*

20. Cæterum ut Testes, quicunq; etiam omni Exceptio-ne majores legitimè probent in Judicio necesse est. *Primò* quòd sint citati, seu quocunq; modo vocati, aut ab Officio assumpti, aut ab Actore, vel Reo adducti, nam Testis volun-tariè se offerens, suspectus manet & non probat. *L. Presbyter Cod. de Episc. & Cleric.* & quòd in Processu notetur quā viâ introducatur, sive ab Officio assumpitus sit, sive ab Actore, vel Reo adductus *Secundò*, dicitur esse juratus, nam Testi non jurato non creditur *Cap. Tuis & Cap. nup. de Testibus.* *Tertiò* quòd interrogentur à Judice de notitia Personæ, de delicto, de tempore, de loco, & si qui ibidem eodem loco & tempore interfuerint. *Quartò* In principio examinis Testium adno-tentur eorum Nomina, Cognomina, Anni ætatis ac Reli-gionis, status, Gradus, imò & Conditio, si sint Sæculares.

21. Ad ultimum quòd attinet Testes, observandum est, quòd Testes interrogandi sint servato Juris ordine, id est à Judice competente, præcedente accusatione, aut denuntia-tione, aut infamia, vel indiciis sufficientibus, vel semiple-na probatione. Et tunc Testis sic legitimè interrogatus, re-spondere tenetur & fateri veritatem sub gravi obligatione. *Ita D. Thom. 2.2. Qu. 70. Art. 1. in corpore, quem communiter sequuntur alii DD.* Quod si testari & deponere noluerit, ma-net puniendus.

22. E contra non tenetur quis testari etiam Judice præ-cipiente. *Primò* Si Crimen est illi notum ex sola Confessio-ne Sacramentali, quæ enim sciuntur ex Confessione haben-da sunt pro non scitis & oblitis. *Secundò* Si delictum sub secre-to sigilli vel Consilii, aut auxilii petendi gratiâ, sit alicui de-tectum, puta Cofessario, Medico, Advocate, vel Obstetrici, a-lias præcluderetur omnis via petendi à Proximo auxilium, hoc tamen sane intelligendum est, videlicet si subticentia non vergat in detrimentum Republicæ vel Communitatis, aut Proximi, tunc enim tenetur testari quilibet, etiamsi ju-rasset se non dicturum. Quia Juramentum promissorium ca-dens in detrimentum injustum tertii, non ligat. *Tertiò* Si A-ctor delicti non laborat infamia vel Indiciis, & non timeatur aliquod damnum sive privatum Personæ, sive publicum scan-dalum. *Quartò* Non tenetur quis testari cum suo notabili damno Spirituali, vel temporali, puta bonorum vel honoris, quia hæc obsequia non tenemur præstare cum damno suo, nisi esset incommodum Communitatis, loquendo enim de privatis ordo charitatis postulat, ut prius nobis, quam aliis consulamus. *Quintò* Si peccatum est occultum & peccator jam manet emendatus.

23. Observandum est *Secundò*, quod Testibus ab Ac-cusatore adductis riteq; examinatis, debet Judex eorum de-positiones maturè considerare, ut sciat quid agere debeat. Nam si Testes invenerit discordes, vel vacillantes, aut sin-gulares, & sic nil concludentes, Accusatum vocare, aut Re-um, constituere non debet, multò minus interrogare, sed Accusatorem præmonere de non sufficienti testimonio, ut si velit, vel ab Actoratu desistat, vel alios Testes adducat. Quod si Accusator desistat, & humiliter se gerat, Judex cum ipso mitius se agere poterit assignando illi levem aliquam pæni-ten-

tentiam. Quod si Accusator alios Testes adduxerit, & hi quoq; nil probaverint, pænâ talionis puniendus erit. Jam verò in casu, quo Testes Contentes & concordes fuerint & factum probatum sit, vel indicia gravia orta de Crimine & Reo, illum citare, audire, & sufficienter interrogare debet, formatis ex Testium depositionibus, Capitulis juxta formam inferius præscribendam in praxi Examinis.

C A P U T XVIII.

De Reo.

S U M M A R I U M.

1. Quid sit Reus?
2. Antequam Reus vocetur, primo debet constitui.
Ibidem. Deinde citari.
3. Citatio Rei, est de Jure naturali.
Ibidem. Quomodo illa fieri debeat apud Regulares?
4. Reus legitimè citatus, si non compareat, monendus est,
Ibidem. Quodsi sit suspectus de fuga, detinendus in Carcere,
5. Reo comparenti, debet aperiri status Causæ.
6. Si maneat ut suspectus sub custodia, debet ad Examamen admitti.
7. Reus non audiatur in Judicio,, nisi juratus.
8. Cautela hac in re.
9. In Examine benignè & charitativè cum illo procedatur.
10. Quomodo procedendum circa Rei Examen?
11. Reus non respondens habendus pro convicto.
Ibidem. Nomina Testium, nunquam Reo aperienda.
12. Quodsi aliunde Reus in notitiam Testium devenerit, poterit illos rejicare.

13. Si Reus dicat sibi Judicem suspectum, debet id in scripto proponere.

14. Reus nequit interrogari, nisi de his, de quibus est convictus, vel indicatus.

15. Si Reus in Examine nominet aliquem de quo non interrogatur, non est audiendus.

1. **R**eus dicitur à reatu, seu reatus alicujus obligatione, Racis reatus alicujus obnoxius, quapropter nemo talis censendus est, nisi contra quem probationes vel saltim indicia gravia laborant. Nec Reus aliquis censendus est, antequam ad Judicium vocetur per citationem.

2. Captis itaq; Informationibus modo Juridico per Testium inquisitionem, si contra aliquem inveniantur plenæ probationes de aliquo delicto, vel saltim semiplenæ, aut indicia gravia, ante omnia in Processu formandum erit Decretum interlocutorum constitutionis Rei, juxta formam seu praxim suo loco ponendam, & tunc Reus ante omnia citandus est prius, quam aliquid contra illum attentetur, ut est incarcерatio vel tortura, & alia hujusmodi, alias graviter peccaret Judex, aliter faciens, & omnia tentata essent & nulla, ut habet Spatarius. Tract. 9. Cap. 1. n. 2. & alii communiter. Si tamen ex manifestis vel saltim gravibus conjecturis arbitriō Judicis ponderandis, justè timeretur fuga Rei, si citaretur, tunc posset ante omnia incarcерari, non quidem Carcere formalī, sed veluti sub custodia, donec Causa terminetur. Cautissimè autem & gravissimè in hoc est procedendum, honor enim & bonum Nomen Religiosorum sunt totæ illorum divitiae, quas per similem incarcerationem amittunt.

3. Porrò vocatio seu citatio Rei, est de Jure naturali, ac Divino, ut ostendit Rodrigues Tom. 2, Qu. 18. Art. & patet Gen. 3. ubi Deus citavit Adam ad audiendum illum in qui-

quiens: *Adam ubi es.* Modus tamen citandi Reum videtur accidentalis, & in hoc servari debet mos uniuscujusq; Religionis, in nostro autem Ordine citari solent, si sint in alio Conventu per Literas vocando illos ad præsentiam suam, non specificando causam illorum vocationis, vel si sint in eodem Conventu ad Cellam suæ Residentiæ, sive per se, sive per alium aliquem ex Fratribus, quæ Praxis citandi Reum etiam in aliis Religionibus servatur, Teste *Peyrino Formular. Praeat. Liter. C. Cap. 10. n. 5.*

4. Quod si Reus sic legitimè citatus comparere noluerit, si forte sit de fuga suspectus, debet detineri in Carcere sub custodia, quod si non fuerit suspectus de fuga, assignandum illi erit tempus sufficiens ad comparendum, cum combinatione censuræ, quo tempore elapso, si non comparuerit, poterit ut contumax pro confesso haberi, & condemnari, nisi justas alleget causas, cur non compareat.

5. Reo compareanti debet Judex (maximè si responderet nolit) aperire Causæ suæ statum in terminis universalibus nullò expressò nedum Nomine, sed neq; dicto Testium, aut particulari aliquo indicio, sed tantum in genere, quod contra illum sint plenæ & semiplenæ probationes, vel indicia æquivalentia, unde advertat & respondeat, cum Causæ status id requirat. Et ratio est, quia nemo tenetur parere cum gravi suo vel alterius detrimento, nisi illi constet se legitimè interrogari, hoc autem nescit Reus, non cognitò causæ suæ statu.

6. Si Reus ut suspectus maneat arctatus in Carcere, ut legitimè interrogetur, debet è custodia dimitti, quo liberius veritatem fateri possit, omnem enim vim seu metum à Reorum Confessione abesse debere, cuncta Jura decernunt, prout docet *Spatarius supp. Cap. 5. v. 15.* & id in Causis Regula-

rium, omnino observandum docet *Rodrigues sup. Qu. 19. Art. 1.* eo, quòd hujusmodi libertas spectet non ad apices Juris, sed ad substantiam ipsius, Confessio enim extorta à Reo in Carcere, dicitur extorta metu, adeoq; nulla, hoc tamen intelligendum est, ubi gravissimæ instantiæ non svadent oppositum, videlicet Reum debere examinari in Carcere, & tunc hoc scribendum erit in Actis seu in Processu.

7. Reo in Judicio constituto, & respondere parato imponendum est præceptum de præstanto Juramento dicendi veritatem circa interrogatoria proponenda, quamvis enim nemo sit cogendus ad revelandam suam turpitudinem, communis tamen Doctorum sententia & consuetudo docet Reis juramentum esse præstandum, & hunc esse stylum & proxim in Ordine nostro tenet *Spatarius sp. n. 12. quemadmodum & Peyrinus ac alii.*

8. Cæterum Ludovicus ab Ameno P. I. Tit. 19. §. 4. n. 19. & *Gaudentius Kierchove Cap. 6. §. 2. n. 117.* volunt hac in re cautè esse procedendum neq; id promiscuè fieri, & à Reo negante Juramentum illud non exigere, ne perjuriis detur occasio.

9. His præmissis inscriptoq; in Actis, die & Anno ac tempore comparitionis Rei in Judicio (puta matutino, vel pomeridiano) item Nomine & Cognomine, ætate tum Annorum, tum Religionis, quemadmodum Officii & Status, incipiat Judex Reum examinare benigne & charitativè, non de vanis & inutilibus, sed de necessariis & ad rem pertinentibus. Ordinariè autem à generalibus incipiendæ sunt interrogaciones, v.g. an sciat vel præsumat causam suæ vocationis? vel si ex custodia fit dimissus? unde veniat? cur ibidem fuerit collocatus? & sic per consequens, donec eliciatur Confessio delicti, aut saltim magna indicia ejus colligantur.

10. Ubi verò ex Rei responsionibus collectum fuerit, revera ipsum esse Auctorem delicti, requirendus est, ut facti seriem referat sigillatim, quod si quædam non plenè explicaverit, rursus debet interrogari, super iis, ut clarius & distinctius illa exprimat. Quod si dicat, se nescire, neq; præsumere, causam suæ vocationis, & examinis, tunc proponantur illi communes interrogationes, v. g. in quo Conventu maneat de Familia, à quo tempore, an hoc tempore v. g. die 10. Februarii fuerit in Conventu? an hoc die non sit factum aliquod scandalum? donec veniatur ad ipsum delictum cum circumstantiis, & indiciis, ut Reus ex interrogationibus colligere possit, jam manere delictum detectum. In omnibus autem interrogationibus cavere debet Judex à cavillosis, suggestivis & dolosis interrogationibus, sed debet incedere Regiâ inter justitiam & charitatem viâ, quod etiam in examine Testium maximopere est observandum, ne Processus evadat vitiosus atq; nullus.

11. Ubi autem Reus legitimè interrogatus respondere recusat, vel nonnisi dubiè respondet, dicendo non scio, vel non recordor, potest à Judice compelli ad respondendum, vel sub lucta seu comminatione, quod factis tribus monitionibus in illum animadvertet pænam delicti, vel per torturam si agatur de gravioribus Criminibus. Quod si post torturam quoq; pertinaciter respondere recusat, poterit haberi pro confessô & consequenter damnari. Ita cum Rodrigues sup. Art. 5. tenet Lezana Vers. Reus n. 3. Peyrinus sup. n. 1. & alii plures Reo dictum neganti non potest Judex aperire Nominâ Testium, aut ea cum Reo confrontare, idq; ad vitanda odia, & jurgia, & gravissima incommoda inde oriri solita, idq; ex Bull. Urb. VIII. Quæst. incip. ad uberes & eximios fructus &c. quod etiam practicatur in aliis Religionibus teste Pellizario sup. n. 115. & aliis nonnullis.

12. Si tamen Reus aliunde in Testium notitiam venit, posset in progressu examinis detegere eorum occultos defectus ad reddendum eorum invalidum testimonium, dummodo adsit omnino necessarium ad suæ Causæ justam defensionem, & evadendum damnum, quod alias pateretur, idq; etiam tunc, quando malum proveniens Testi majus esset illo, quod pateretur Reus. Et ratio est, quia talis detectio est medium jure concessum, ideoq; Reus utens jure suo, non peccat, neq; contra justitiam, neq; contra charitatem, eo, quia non tenetur cum damno suo præcavere, & vitare alienum. *Ita Sot. Lib. 5. de Just. Qu. 7. Art. 3. cum aliis.*

13. Quodsi Reo respondere renuat allegando Judicem sibi esse suspectum, debet in scripto ponere causas exceptionis, & hæc erunt remittendæ Judici Superiori, vel mediis, ut Judex unâ cum Reo eligat Arbitros, qui judicent de Causa suspicionis, & si Causa non fuerit probata, Judex procedat prosequendo suam Jurisdictionem, si autem maneat probata, Judex si sit Ordinarius deleget causam alteri, si verò sit Delegatus, ab ea omnino abstineat. *Ita habetur Cap. Cum speciali, & Cap. secundo requiris de Appellat.*

14. Reum indiciatum, vel etiam convictum, nequit Judex interrogare de aliis Criminibus, nisi similiter de illis adsint indicia vel probationes, generaliter enim Reus non debet interrogari, nisi de his, quorum est Reus, seu obnoxius, nullius autem est Reus, cuius non adsunt probationes, saltem semiplenæ, vel indicia ad minus gravia, similiter neq; Reus respondere tenetur, neque Judex potest interrogare Reum de Complicibus sine præcedentibus contra illos indiciis, nisi delictum sit, quod sine Complicibus fieri nequit, ut est conspiratio, vel publico sit perniciosum, quia tunc bonum Commune, præferri debet bono privatō Complicis. Ita Rodri-

driques. sup. Art. 10. Pelliz. n. 111. Bassus V. Reus & alii.

15. Cæterum si Reus aliquem nominaverit, dum de eo non interrogatur, ejus dictum non efficit semiplenam probationem, nisi aliunde adsit aliud indicium probatum, præsumitur namq; quod ad se exonerandum gravet alios. Ita Bassus in sua sup.

C A P U T X I X.

De Tortura.

S U M M A R I U M.

1. Torturæ aliquoties facta mentio.
2. De hac copiosè Ludovicus ab Ameno & Rodrigues.
3. Ubi Crimen aliter probari potest, Tortura adhiberi non debet.
4. Qualiter & quando Regulares torquendi?
5. Hæc semper apud Regulares debet esse Religiosa.

1. EX quo de Tortura sæpius hac in parte facta est mentio, quid illa sit, & prout Religiosis competit? hoc capite occurrit tractandum.

2. *Ludovicus ab Ameno* P. 1. Tit. 16. multum copiosa hac de re collegit, quemadmodum & *Rodrigues* Tom. 2. Qu. 20. per totum, mihi hac de re pauca & honestiora placent, ac magis consona honestati Religiosæ. Hinc in hac re curiosos ad præfatos Auctores remitto, quemadmodum & ad *Sanctorum Titulo Tortura*. Ubi omnia hac in re desiderata, in promptu habebit. Est igitur Tortura subsidium quoddam, in defectu probationis, supplens id, quod ad plenam probacionem

nem

nem deficit, adeoq; introducta non in pænam delicti, sed ad probandum delictum.

3. Ubi igitur Crimen aliunde probari potest, vel manet probatum, Tortura nullo modo adhibenda est, similiter non debet dari, si non adsit semiplena probatio, vel indicia gravia, per idoneos Testes probata, prout late probat *Rodrigues* Tom. 2. Quæst. 20. Art. 3, Ubi etiam monet Judicem Regularem teneri dare copiam indiciorum Reo, etiam non peten-ti, cum certo termino ad se purgandum.

4. Qualiter autem seu quomodo Regulares torquendi sunt? scire cupienti, ante omnia sciendum est, commune m esse sensum omnium Doctorum, quod Tortura non debeat esse æqualis pænae promeritæ per delictum, de quo investi-gatur, multò minus poterit esse major, injustum enim est, ut in dubio an Reus hoc fecerit, jam gravior & æqualis pæna detur, ac forte pæna delicti. Item communiter tenetur ab omnibus, Religiosos Regulares mitius & levius torqueri debere, cæteris paribus, quam Laicos, tum ob metum Ex-communicationis, si excedatur in Tortura, ac ejus modis, tum ob reverentiam Status Religiosi. Item regulariter absti-nendum esse ab iis tormentis, quibus moraliter Reus non possit resistere. Ita *Portel.* verbo Tortura n. 2. *Lezana* V. Ju-dex n. 14. & colligitur Cap. cum *Beatus* dis. 45. Quæst. 5. Cap. 1. circa finem.

5. Licet autem attento Jure Communi, arbitraria sint Judici tormenta, ab ipso eligibilia, juxta qualitatem delicti, & Personæ, juxta tamen *Ghistarum* Cap. 18. S. de Tortura n. 63. Ubi Religiosis adhibenda est Tortura, debet illis dari Religiosa, nempe Carcer cum inedia, in gravissimis verò ad sumnum disciplina, quæ juxta *Ludovicum* ab Ameno spa-tium duorum Miserere excedere non debet, vel melius ad nu-

M2

merum

merum iustum redigenda erit, de quo tamen Reus non debet scire. Monet tamen *Spatarius Tract. 7. Cap. 18. n. 15.* Prælatos Regulares ne unquam ad graviorem torturam descendant, nisi ex Consilio & Consensu Definitorii, & Patrum Provinciæ vel Ordinis. Sine quorum tamen Consilio & assensu leviores pœnæ, nimis Jejunii in pane & aqua, flagellationis & arctationis adhiberi possunt.

C A P U T XX.

De Defensionibus & Patrono.
S U M M A R I U M.

1. Defensiones sunt de Jure naturali.
2. Neq; Generales Ordinum in illa dispensare possunt.
3. Jmō & Reus non debet illis resignare.
4. Hinc Judices non debent inducere Reos ad resignandum Defensionibus.
5. Quibus modis se Reus defendere possit?
6. Et sequentibus usq, ad finem.

1. CUM Defensiones sint de Jure naturali, eaq; vix benè fieri possint sine Patrono, præsertim ubi Reus non est literatus. Hinc antequam Judex descendant ad sententiam condemnatoriam, debet Reus informari de statu Causæ suæ, de Indiciis, de probationibus &c. Quapropter antecedenter ad sententiam decisivam, debet Reo dari etiam illo non rogante Advocatus, seu Defensor, sive Patronus, aliquis ex Religiosis sui Ordinis, Vir literatus ac Juris gnarus, & hoc etiam in illo casu, quo Reus delictum fuerit confessus. Hujusmodi

modi autem Advocato debet dari copia Processus, & debitæ dilationes, ut producere possit Testes, pro parte Rei examinandos, si opus fuerit, & omnia alia facere, prout de Jure.

2. Hæc autem Reorum defensio, adeò est necessario ipsis concedenda, ut neq; Generales Ordinum illam omittere possint, imò ipsi Reo, capto, vel deprehenso in flagranti delicto non est neganda.

3. Jmō juxta multos, ipsem Reus in Causis Criminalibus, quando agitur de gravi pœna corporali, vel de magna læsione famæ; nequit suis Defensionibus resignare, nisi forte Reus sponte delictum confessus sit, cui assignatō à Judice terminō debitō Defensionum, ille velit Defensionibus renuntiare, seq; pietati Judicis & misericordiæ plenè committere, & tunc mitius aliqualiter puniendus erit.

4. Caveant autem Judices Regulares, ne ullō modō, maximè verò dolosè, inducant Reos ad renuntiandum suis Defensionibus, sed potius prout decet Religiosos, illos doceant, moneant, & adjuvent (*salvâ tamen semper Justitiâ*) ut se pro viribus defendant.

5. Modos, quibus Reus se defendere posset fusè pro suo more collegit Ludovicus ab Ameno, & *Sanctorus*. quemadmodum *Spatarius Tract. 10.* qui tamen omnes ad quatuor capita redigi possunt. *Primò*, itaq; Reus se defendere potest, excipiendo, quod Corpus delicti non sit sufficienter probatum, nam corpore delicti non probato, totaliter ruit Processus. Qualiter autem corpus delicti sit probandum, dictum est *Cap. 16. supra*.

6. Secundo defendere se potest Reus, excipiendo contra Judicem, quod sit incompetens, vel suspectus, vel quod non servaverit, quæ de Jure servanda sunt, de Judice competente Regularium actum est, ubi de Exceptione contra Judicem suspe-

Suspectum Cap. 15. de servandis de Jure in Judiciis Regulare. Cap. 12. & alibi sparsim tota hac altera Parte, ex quibus Reus, vel Patronus, eruere poterit, quæ ad sui defensionem opportuna judicabit.

7. Excipiens autem contra Judicem Ordinarium, debet coram ipso adducere causas legitimas Exceptionis, ipsamq; Exceptionem probare, & si in probationibus defecerit, manet puniendus ad arbitrium Judicis, ita *Sanctorus in Sup.* & communiter. Licet autem communiter exceptio Judicis debeat fieri, antequam Reus Juramentum deponat, si tamen Causa recusationis superveniat post item contestatam, tunc etiam postquam fuerit conclusum in causa, poterit interponi recusatio.

8. Quare si Reus postquam examinatus est, & illi date sunt defensiones, imò etiam post Sententiam, cognoscat Judicem se fuisse jactatum extrajudicialiter, quod velit se hac occasione vindicare de Reo, ob injuriam sibi aliquando ab illo (puta Reo) illatam, & id probare possit Reus, se primo hoc cognovisse, postquam conclusum sit in Causa, habet adhuc tempus ad excipiendum contra Judicem, & rescindendos actus, contra se factos. Et ratio est, quia ignorantia illa, quæ fuit facti, & non Juris, sibi nocere non potuit.

9. Tertio Reus se defendere potest, excipiendo contra Testes, quod non sint habiles, aut probando similibus pluribus, aut paribus Testibus contrarium, de Testibus autem habilibus egimus Cap. 17. Quod si Reus adducat alios Testes pro se, debet illos Judex benignè audire, adeoq; non ægrè ferre, quod illorum testimonium destruat delictum, maturâ tamen cum circumspectione, ne forte sint corrupti. Licet enim Judex pronior debeat esse ad absolvendum, quæ ad condemnandum, cæteris paribus, semper tamen attendere debet;

debet, ne Justitia patiatur, cum Judices sint Custodes Justitiae juxta illud Sap. 1, *Diligite Justitiam, qui judicatis terram.* Cæterum cæteris paribus, plus fidei datur Testibus adductis pro defensione, quæm Teſtibus accusantibus. imò plus creditur Mulieribus ad defensam, quæm Viris ad offensam.

10. Quartò defendere se potest Reus, probando errorem à se factum in propria confessione, si quem rationabiliter fultum probatione invenire poterit. Confessio enim licet jurata sit, revocari peterit, ut cum multis latè probat Ghislarius Cap. 19. n. 13. sed in hoc casu non sufficit quod Reus simpliciter afferat, se per errorem fuisse confessum delictum, sed debet per evidentiam facti probare, se Crimen non commisisse. Quodsi evidenter non probat, sua confessio non censetur erronea, quo minus ad pænam ordinariam condemnari valeat.

C A P U T X X I .

De Purgatione Canonica.

S U M M A R I U M .

1. Quid Purgatio Canonica?
 2. Antiquitus fuit maximè in honore.
 3. Purgatio Canonica dupliciter fieri potest.
 4. Purgatio Canonica si indicatur à Judice, quomodo fieri debeat?
 5. Usq; ad septimum inclusivè.
 6. Si fiat ad instantiam Infamati, quæ in illa mutanda?
 7. Canonicæ Purgationis quis sit finis & effectus?
 8. Canonicè purgatus, non potest de eodem Crimine molestari.
 9. Jussus se purgare si renuat, quomodo cum illo procedendum?
1. Pur-

1. **P**urgatio Canonica, est ostensio conscientiae alicujus, de Crimine, cuius laborat infamia, coram Judice competente facta, secundum præscriptum Juris Canonici, de hac autem purgatione Canonica extat integer Liber in jure Canonico, Lib. 5. Decretalium, constans 16. Capitulis.

2. Purgatio Canonica antiquitus fuit maximo in honore, ita ut nonnulli Summi Pontifices, de gravioribus Criminibus infamati (qui tamen à nemine judicari poterant) eā publicè se purgare ad removendum populi scandalum, seq; illā uti non sunt designati, prout de S. Damaso, Paschali Primo, Simmacho, & Gregorio VII. ac Pelagio videre est apud Platinum de vitiis Pontificum, nunc autem ejus usus videtur penè abolidus præterquam in Sancto Officio. Eam tamen quandoq; & nunc practicari videmus. Proinde pro illius notitia, nonnulla magis scitu digna afferentur.

3. Purgatio itaq; Canonica duplíciter fieri potest. Primo quidem quando à Judice legitimo indicitur Infamato, ut se per illam purget. Secundò quando fit ad instantiam ipsiusmet Infamati, qui stimulis malæ de se famæ perpunctus, rogat à Judice, ut se purgari permittat.

4. Purgatio Canonica si indicatur à Judice, primo debet constare Reum inquisitum, verè laborare Criminis infamia, vel accusatum defectu plenæ probationis remanere suspectum de Crimine, de quo tamen aliunde non potest immunis agnosciri, vel convinci, nisi adhibita purgatione, cum Crimen non nisi semiplenè sit probatum, vel nonnisi maneant indicia illius gravia.

5. Secundò præfigitur Reo dies in scripto à Judice determinatus, quo coram Judice compareat, cum quinque vel sex Compurgatoribus, sive Testibus à se nominandis, qui sint probatae vitæ & bonæ opinionis, de nullo Crimine un-

quām

quām notati, quiq; vitæ & conversationis ejus, quem purgare debent, notitiam habeant, ut juxta conscientiam, nullo amore aut odio, aut aliqua alia passione moti, jurent se credere, dictum Infamatum, jurasse verum, se purgando, vel Crimen illud se non commisisse.

6. Tertiò, debet Purgandus significare Judici se purgationem acceptare, & simul notificare quosnam Compurgatores adducere velit.

7. Quarto. Ubi Purgandus cum suis Compurgatoribus comparuerit coram Judice, & Notario, vel aliis Testibus ad hoc assumptis, petit ab eo Judex, an illi Compurgatores sint iidem, quos ille nominarit? quo respondentे quod sic, instruat Judex Compurgatores de merito Causæ, & Crimine, de quo Purgandus fuit diffamatus, & exponat illis originem & fundamenta, ex quibus talis infamia contra illum nata est, & idcirco juridice esse illi injunctam purgationem Canonicam, quæ in eo consistit, ut ipse Purgandus juret, se tale Crimen non commisisse, & ut Compurgatores etiam jurent se credere ipsum verè jurasse. Quibus Compurgatoribus annuentibus & dicentibus se ad id fore paratos, Judex præsentibus Testibus ad hoc assumptis, ac Compurgatoribus præfatis, exigit à Purgando Juramentum, de dicenda veritate super interrogandis, quod Juramento prestito, interrogat Judex Reum v.g. an tale furtum, de quo infamatus, & inquisitus fuit, perpetrarit? Respondet: Juro me tale furtum non commisisse, nec mandasse, nec consuluisse, nec foviisse, nec meo nomine factum ratum habuisse. Si autem Crimen sit merè Personale respiciens Personam solius Purgandi, ut est blasphemia vel fornicatio, & similia, tunc sufficit respondere, juro me tale Crimen non commisisse. Qua responsione habita Judex Purgandum dimittit,

N

post

post cuius discessum interrogat Compurgatores, an probe intellexerint ea, super quæ Purgandus juravit? qui responderem debent, optimè intelleximus. Et tunc Judex uno Compurgatore remanente, cæteros dimittit, ille verò qui remansit, defert Juramentum de veritate dicenda, quō præstítō, interrogat eum, *Primb.* An istum Purgandum benè noscat, & quomodo? seu unde? Respondere debet Compurgator, optimè novi eum, & dū ac multum cum ipso conversatus sum, & semper reperi Virum probæ & honestæ vitæ. *Secund.* An amore inordinato, vel passione aliqua movetur, aut promissione ad illum purgandum? Respondetur, nihil me movet horum, nisi amor veritatis, & charitas ad tuendam innocentiam Infamati. *Terti.* An credit illum verum jurasse? Respondetur: Credo certè, quia scio ipsum semper fuisse Virum honestum, & tunc Judex ipsum dimittit, & vocat alium Compurgatorem, & interrogat eodem modo ac demum cæteros, donec omnes audiantur & examinentur.

8. Quod si Purgatio Canonica fiet ad instantiam Infamati, tunc eodem modo fieri debet, quo fieri præscribitur, dum injungitur ab ipso Judice ex Officio, nisi quod tunc Infamatus moneri debet à Judice, quod si defecerit in Compurgatoribus & purgatione, habendus erit pro convicto de tali Crimine, & per consequens puniendus manebit, & quod tunc minor numerus requiritur Compurgatorum, quam ubi fit purgatio à Judice ex Officio injuncta. Cæterum neq; pro purgatione Canonica ex Officio & Jure, certus est aliquis numerus determinatus, sed hoc committitur prudentiæ Judicis; juxta qualitatem delicti, ut colligitur *Cap: Omnibus 2. Quæst. 5. aliisq; ex Juribus.*

9. Finis verò seu effectus Canonicae Purgationis est, ut qui se hoc modō purgaverit, sit absolvendus à Judice, atq;
immu-

immunis à Crimine declarandus. *Cap. Ex tuarum de Purgatione & id omnes admittunt.* Si verò in Purgatione deficiat, vel quia non jurat eō quō debet modō, vel quia Compurgatores de Crimine, de quo infamatus est, jurare non audiunt, vel quia sufficientes & idoneos Compurgatores non adducit, tanquam convictus condemnari & puniri potest, & quidem pænā ordinariā, si contra ipsum procedatur viâ Inquisitionis, aut Denuntiationis. Colligitur ex Cap. cum *P. Manconella. Quamvis Rodrigues Tom. 2. Qu: 2. Art: 2. teneat Religiosum deficientem in purgatione non esse punendum tanquam convictum pænā ordinariā, & si contra eum procedatur viâ accusationis, quia nullum videtur hac in re admittendum discrimen, inter Religiosos & alios Clericos.*

10. Infamatus de aliquo Crimine ubi se purgaverit, hōc modō, non poterit deinceps de eodem Crimine molestari, ita *Gloss. in Cap. ex tuarum verbo absolvens de Purgat.* cuius ratio ibidem adducitur, quia Juramentum majorem habet auctoritatem, quam res judicata.

11. Jusius se purgare, si renuat, non hōc ipsō habendus est pro convicto, quod si contra aliquem, præcesserit semipena probatio, poterit per Censuras aut torturam cogi ad fatidam veritatem. Hinc caveant Judices, ne hujusmodi Canonicam Purgationem violenter imponant, sed procedant prout de Jure secundū allegata & probata, à Decreto enim injungente purgationem æquè poterit fieri Apellatio, sicut à Decreto Condemnatorio, præsertim si modus purgationis excedatur, ut cum numerus Compurgatorum non sit de Jure præscriptus, si Judex multos requirat, & tales, quales, & quæt purgandus habere non potest, & Ita habetur *Cap. nos inter de Purgat. & Gloss. Cap. non inter verb. Apellat.*

C A P U T XXII.

De Sententia & pænis per eam
imponendis.

S U M M A R I U M.

1. Præmissis de Judice, Actore, Testibus & Reo, superest Sententia.
 2. Quid sit Sententia & quotuplex?
 3. Sententia Interlocutoria duplex:
 4. Similiter & Sententia Definitiva.
 5. Sententiae Judicialis Definitivæ ulterior Decisio.
 6. Ut Sententia Judicis sit justa, quæ advertenda?
 7. Indicia quantumvis gravia, non sufficiunt ad Reum condemnandum & pænam ordinariam.
 8. Si procedatur per Denuntiationem, quod observandum maneat?
 9. Ubi proceditur viâ accusationis, Accusator deficiens in probationibus, debet prius citari & auditiri.
 10. Sententia debet dari omnino in scripto,
 11. Latæ Sententiae debet Judex inscribere.
 12. Sic formata Sententia debet coram Reo legi.
 13. Sententia debet continere specificè & in individuo expressum corpus delicti.
- Ibidem.* Item pænam pro delicto assignatam.
- Ibidem.* Quodsi pæna statutaria augeatur vel minuatur, debet quoq; adnotari in Sententia causa, sive augmenti, sive diminutionis.

De Sententia & penit per eam imponendis.

14. Circa subscriptionem Sententiæ, debet apponi Nomen & Cognomen Judicis.
 15. In Principio Sententiæ, debet poni: In Nomine Domini.
 16. In pænis imponendis, debet Judex attendere ad Statuta sui Ordinis.
 17. Hinc pænae debent præcisè correspondere delicto.
 18. Ubi Reus pænae Statutariæ incapax invenitur; quid faciendum?
 19. Quæ Causæ justæ esse possunt augendæ pænae?
 20. Quæ circumstantiæ dicantur justæ minuendi pænam?
 21. Ubi in Lege nulla determinatur pæna pro aliquo delicto, quid faciendum?
 22. Quid Nomine Legis veniat apud Regulares?
 23. Judex Regularis Ordinarius Sententiam semel latam & publicatam, atq; pænam à Lege suæ Religionis taxatam, non potest deinceps revocare aut moderari.
- Ibidem.* Nisi forte servaverit sibi jus Moderaminis.
- Ibidem.* Quod necessario in Sententia exprimi debet.
24. Multo magis Sententia in pleno Definitorio lata non potest à Provinciali immutari.
- Ibidem.* Nisi ad hoc à Definitorio Provinciali datum fuerit Compr̄missum.
25. Ubi Statuta pro aliquo delicto assignant pænam, non determinando tempus, duratio temporis pæna determinanda Provinciali censetur relictæ.
- Ibidem.* Aut certè censenda perpetua.
- Qua tamen in re cautissimè est procedendum.
1. Postquam hucusq; quantum satis est, vidimus ea omnia quæ respiciunt Judicem, Actorem, Testes, ac Reum,

superest juxta rei ordinem ad illa descendere, quæ his habitis conseqvuntur, videlicet Sententia.

2. Sententia itaq; est, decisio Judicis prolata à Judice competente, finem imponens controversiæ, sive per absolutionem Rei, sine per condemnationem. Hæc autem Sententia in Prima sui divisione, duplex est, *Prima* dicitur Interlocutoria. *Secunda*, Definitiva. Sententia *Interlocutoria* est, quæ datur non super Causa principali, sed super articulo incidente, exempl. grat. de repellendo Accusatore, vel Teste aliquo inhabili, vel dum Judex dilationem concedit ad rem clarior enucleandam, vel Testes melius examinandos. Dicitur autem *Interlocutoria*, quia absolutè & in rigore posset etiam dari & sola locutione, melius tamen est, ut semper scribatur. Sententia verò *Definitiva* est, quæ definit seu concludit, ac terminat Causam principalem controversam.

3. Porò Sententia Interlocutoria duplex est. Una est mere Interlocutoria. Altera Interlocutoria vim Definitivæ habens. *Prima*, est quo ad id incidens, quod non facit Præjudicium irreparabile, eo, quod speretur adhuc alia Sententia ferenda, puta dum Judex dilationem concedit, vel Testes accuratius examinandos fore censem. *Secunda* est, quâ Judex aliquem præcipuum articulum determinat, ex quo totius Causæ definitio pendet, sic ut non speretur alia Sententia ferenda, vel damnum reparandum, puta dum Decretum ponitur, constare de corpore delicti, & fama seu infamia; & ideo procedendum esse ad examen Testium, vel Testibus examinatis, dum ponitur Sententia constare de Reo.

4. Sententia Definitiva pariter duplex est, nimirum *Absolutoria* & *Condemnatoria*. Sententia *Absolutoria* est, per quam Reus accusatus, seu denuntiatus, sive inquisitus in Judicio declaratur immunis à delicto, quod ei fuerat objectum,

sive

sive id fiat ex eo, quod Reus sit repertus innocens, ab ipso Judice, sive quod Reus innocentiam suam manifestè probaverit. Sententia *Condemnatoria* est, per quam Reus legitimè convictus, ad justam pénam condemnatur ob delictum ab ipso commissum.

5. Sententia Judicialis Definitiva iterum dividi potest in Sententiam *Justam* & *Injustam*. *Justa* est, quæ datur à Judice competente, ex causa sufficienti, servato Juris ordine ad bonum & justum finem. *Injusta* autem est, quæ aliquem defectum patitur. *Defectus* autem erit, vel ex s; lo pravo fine, seu intentione Judicis, ut si Judex procedat servato omni ordine Juris, ast ex odio & vindicta, & tunc talis Sententia in utroq; foro valida est, vel erit *defectus substantialis*, sed non omnino clarus est notorius, ut si non fuerit sufficiens probatio aut Causa, in cuius favorem judicatur, vel culpa tam gravem non merebatur pénam, & tunc Sententia obligat saltim in foro externo, donec cassetur in Judicio, Ratio autem cur talis Sententia obliget est, quia ejus injustitia latet. Vel tandem erit *Defectus substantialis*, clarus & apertus, & talis Sententia dicitur potius nulla, & nihil valet, tam in foro interno, quam externo, estq; omnis illa, quæ continet manifestam injustitiam, aut intolerabilem errorem, cui proinde stari non debet, *Cap. inter ceteros de Sent. & re Judic.*

6. Quo igitur Sententia Judicis sit justa & valeat, expedit Judices informatos fore, de iis omnibus, quæ ad valorem Sententiæ requiruntur, Antequam igitur Judex descendat ad ferendam Sententiam, primo mature debet ponderare statum Causæ, videlicet Testium depositiones, & Rei, tum confessionem seu examen, tum etiam defensiones, & si vel Reus sit suum Crimen confessus, vel ma- neat convictus per duos Testes Contestes, omni exceptione ma-

maiores, & defensiones ab illo adductæ, nequaquam evacuent vel infirment probationes adductas, debet ipsum Judex omnino condemnare ad pænam ordinariam, etiam si ipse delictum neget, & in negatione perseveret. Nam ubi clare constat de delicto, non requiritur Rei confessio, nec tunc potest adhiberi tortura, ut suo loco dictum est. Si tamen Judex ignarus illam adhiberet, & Reus in negativo persistaret, equidem damnandus foret, sed pæna foret mitiganda pro qualitate pænæ perpetræ in tortura. Ita Spatarius Tra&t. 10. P. 3. Cap. 1. n. 3. & 4. Gaudentius Kierchove Cap. 6. § 2.

7. Cæterum indicia quantumvis gravia, & violenta ac indubitata, non sufficiunt ad hoc, ut Reus valeat condemnari per Sententiam ad pænam ordinariam. Ratio est, quia in Criminalibus probationes debent esse luce meridiana clariores, indiciis autem semper subest aliquod dubium. Ita Passerinus Tribul. Regul. Quæst. 29. Art. 1. de Ameno & Kierchove & id à fortiori locum debet habere in Judicio Regularium, ubi mitius in omnibus procedendum est, propter statūs honestatem, videatur Sanchez Lib. 6. Consil. Cap. 3. dub. 14. n. 10.

8. Quod si queratur, an aliquis censeatur plene convictus, si præter Denuntiatorem non sit nisi unus Testis omni exceptione major, sic ut ipse Denuntiator etiam Testis esse possit? R. Quod Denuntiator, qui tantum Paterne Crimen Fratris denunciavit, si Judex postea judicialiter requirat, potest esse verus Testis, ut suo loco alijs dictum est, & perconsequens Reus in tali casu poterit condemnari. Cæterum in Denuntiatione judiciali Denuntiator nequit esse Testis, ut etiam suo loco dictum est, quia in illo casu solo Nomine tantum differt ab Accusatore, consequenter depositio illius non valet ad plenam Rei convictionem.

9. Ubi

9. Ubi autem proceditur viâ Accusatoris, & Accusator in probationibus deficit, ita ut maneat puniendus pænâ talionis, tanquam Calumniator, tunc debet ante Sententiam citari, ad docendum, an aliquid aliud contra Reum & ejus defensiones ad docendum habent, assignandumq; manet illi tempus, intra quod respondere teneatur, ne indefensus condemnetur, quod si nil adduxerit quod ipsum relevet, poterit in una eademq; Sententia condemnari, ita ut in illa primò declaretur Reus innocens absolutus, & deinde eodem textu pronuntietur Accusator qui non probavit, mulctandus tali pænâ. Quodsi Accusator contra defensiones Rei opponat, aut alias probationes contra eundem adducat, debet iterum citari Reus, ut replicet contra rationes Accusatoris, vel ejus rationes refutet, ut innuit Sanctorus Tit: de Sententia, ita ut semper ultimo loco ante Sententiam audiendus maneat Reus,

10. Porrò de valore Sententiæ est, ut feratur in scripto, est Communis & patet. Cap. de Sententia & re Judic. in 6. Ubi Bonifacius VIII. absolute requirit Sententiam Definitivam in scriptis fore ferendam. Hoc enim non pertinet ad apices Juris, sed ad substantiam, ut colligitur ex Clemente V. ex Clementina sèpè contingit de verbis significat, ubi recentis apicibus, qui necessariò observari non debent in Causis Summariis, subdit: Sententiam verd Definitivam in scriptis & prout magis sibi placuerit stans vel sedens proferat.

11. Latæ Sententiæ & ad scripturam educitæ, debet Judex subscribere. Hinc si Provincialis adhibeat Patres Definidores tanquam Conjudices, ipsi quoq; ejusdem Sententiæ subscribere debent, quia tunc omnes & singuli sunt æquilateri Judices.

12. His omnibus habitis, debet Sententia à Judice vel Pars II. O Adiu-

Actuario in præsentia Rei, & duorum saltim Testium, publicè legi, Reoq; publicari, quando commodè id fieri potest, vel saltim Reo in præsentia duorum Testium intimari, quo casu non sufficit dicere Reo: ecce Sententia cota te lata est, sed debet Actuarius in præsentia Rei & duorum Testium Sententiam integrum legere. Reum autem acceptare Sententiam non est necessarium inquit *Santorus Præctica Criminali Tit. Sententia*, quia Judicis Jurisdictio exercetur etiam in invitum. Imò si intra tempus Canonicum, nempe intra decem dies à tempore intimationis Sententiae, Reus non appellaverit, Sententiam acceptasse præsumitur, Quodsi Reus Sententiam acceptet, & id verbis exprimat, ab Actuario in eadem Sententia adnotandum erit his verbis: Lecta & publicata fuit humiliterq; acceptata die v.g. 13. Febr. 1770.

13. Ultra hæc autem advertendum est pro valore Sententiae, quòd in illa debet specificè & in individuo exprimi corpus delicti, hoc est Crimen, pro quo Reus sententiatur, item quòd Reus de tali Crimine sit convictus, vel confessus, vel utrumq; simul, si ita res se habuerit, cum omnibus circumstantiis aggravantibus, ut videri possit, an pæna sit proportionata delicto, ac tandem debet exprimi pæna, ad quam Reus condemnatur. Licet autem nonnulli Doctores doceant, satis esse, si in Sententia dicatur condemnamus hunc ad pænam in Statutis pro tali delicto expressam, cum tunc pæna certa sit, puta, in Statutis expressa, melius tamen est, si pæna specificetur, quia Reus aliquando rudis potest nescire pænas Statutarias, & per ejus consequens gravitatem pendere, ut inde moveatur ad appellandum vel non. Nequit etiam exprimi pæna indeterminata, ut exempl. grat. Condemnamus ad Carcerem per Mensem, vel deferendum Caparonem per Annum, tunc enim Sententia esset nulla ratione incer-

incertitudinis, & neutrum teneretur subire Reus. Quodsi Judex recedat à pæna Statutaria eam minuendo, vel augendo, tunc in Sententia debet exprimi causa diminutæ, sive auctæ Pænitentia, hæc tamen causa non necessariè specificè erit exprimenda, sed sufficit genericè dicendo exempl. gr. justis & rationabilibus Causis animum nostrum moventibus. Ita *Peyrinus Formular. Lib. S. Cap. 3. n. 3.*

14. Ad ultimum in Sententia circa subscriptionem debet apponi Nomen & Cognomen Judicis, & non sufficit, si solum Officium nominetur exempl. grat. Nos Minister Provincialis Provinciae Russæ. Similiter etiam & si aliqui ex Definitoribus tanquam Conjudices concurrunt, debent se subscribere ex Nomine & Cognomine ac Officio quod gerant, Nomen etiam Rei & Cognomen, Officium & alia, quæ sunt illius, debent in dividuo exprimi, ut unus non accipiatur pro alio, ita habetur *Cap. Cum ab uno de Sentent. & re Judic. in 6.*

15. In principio Sententiae debet apponi necessario. In Nomine Domini. Nam quilibet Minister aliquid faciens alieno Nomine debet exprimere illum, cuius Nomine id facit, omnis autem Judex est Minister DEI. *Cap. Questum 23, Quest. 4.* Si tamen illud non apponitur, equidem Sententia non vitiare tur, nam tacitè subintelligetur. Debet etiam Sententia esse scripta, non per verba singularis numeri, sed pluralis, ut Judex dicat, Nos, pronuntiamus, statuimus, definimus, condemnamus, &c. ac tandem debet Sententia esse lata per verbum præsentis temporis, puta, statuimus condemnamus, & non per gerundivum, puta statuimus, condemnandum, quod quidem esse de substantia Juris docet ab Ameno *Sup. n. 39.*

16. Quod vero attinet pænas per Sententiam imponendas, Judex Regularis hac in re debet attendere Statuta, sive

Constitutiones propriæ Religionis, non autem Jus Commune. Ita *Peyrinus* sup. C. 3. n. 5. & *Sanctorus de pænis in genere Cap: 2. Qu. 9.* Quod si in Constitutionibus Ordinis pro tali delicto non fuerit assignata pæna, recurrentum est ad Sacros Canones, & siquidem in his quoq; non fuerit provisa pæna, quod vix putari potest, tunc deum poterit Judex recurrere ad Jus Civile, non quidem rigorosè illud observando, sed proportionate ad Regularia instituta. Ita *Kierchovæ Cap. 6. §. 3.*

17. Porrò pæna debet præcisè correspondere delicto, ut neq; major, neq; minor assignetur, quam à Lege præscribitur, non enim Judex debet esse aut mitior, aut severior Lege, cuius tantum Custos est, & non supra illam. Unde si delictum sit præcisè commissum absq; ulla circumstantia aggravante vel minuente, præcisè etiam debet ferri pæna, quæ à Constitutionibus pro tali delicto taxata est. Jam verò ubi adsunt circumstantiæ augentes, vel minuentes delictum, pæna quoq; debet augeri, vel minui, sed ratio augmenti, vel diminutionis, debet exprimi in Sententia seu Decreto.

18. Ubi Reus pænæ Statutariæ incapax invenitur, ut cum in Constitutionibus statuuntur pænæ pro quibusdam delictis, privatio Officiorum Ordinis, vocis activæ vel passivæ, item Prælaturæ; si delinquens sit Frater Laicus, aut Clericus, vel Sacerdos junior, aliunde Officiorum incapax, tunc in tali casu poterit Judex aliam similem imponere ex Praxi Religionis, vel in Sacris Canonibus elicital. Ita *Sanctorus Praxi Criminali Tit. Sententia*, alias delinquens ex tali paena nullum incommodum pateretur, & liberius auderet recidivare.

19. Cæterum justæ causæ seu circumstantiæ augendi pænam sunt sequentes, *Primò*, modus, quo delictum perpetratur, ut si interveniat fraudus, dolus, deceptio innocentis.

Secun.

Secundò, Scandalum secutum, ut si quis delictum publicè commisit. *Tertiò*, Delicti iteratio, respectu cuius binus actus sufficit, ut cum aliis tenet *Sanchez in Decalogo Lib. 6. Cap. 10. n. 12.* & à fortiori si Reus solitus sit similiter delinquere. *Quartò*, Multitudo delinquentium, si nimis multi in eodem genere soleant delinquere, per quos ex frequentia talis delicti, maximam jacturam patitur Religio, tunc enim ad terrendos cæteros, poterit Provincialis pænam augere.

20. Causæ verò sive Circumstantiæ minuentes pænam, adducuntur à *Sanchez Lib. 6. Conf. Cap. 1. dub. 21. n. 2.* quorum præcipuae sunt. *Primò*. Si ex diminutione pænæ speratur certior delinquentis correctio. *Secundò*. Si post patratum delictum transferit notabile temporis intervallum sine reincidentia, Reo de hoc non accusato. Si enim fuerit accusatus sed propter absentiam non poterat contra illum procedi, nihil facit ad rem. *Tertiò*. Si Reus accusatus, vel inquisitus, statim sponte, & non metu probationum fateatur Crimen, nisi inde immineat Animæ vel Bono communi periculum. *Quartò*. Quæcunq; alia Circumstantia, ex qua delictum reddatur levius. Ratio est horum omnium, quia cum pæna detur propter delictum, si delictum minuitur, minuenda erit quoque pæna,

21. Ubi in Lege nulla determinata sit pæna, nec aliunde colligi potest, sed manet Judici merè arbitraria, attendat Judex ad æquitatem commendatam à *Concil. Trident. Seff. 13 Cap. 1. de Refor.* ubi ait: *Si ob delicti gravitatem virgæ opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia Judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina pænalis salutaris ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint: emendentur, aut qui resipiscere nolint, cæteri salubris in eos animadversionis exemplō à vitiis deterreantur. Nimis ne plus*

plus æquò severior inveniatur, quod si medium difficile fuerit invenire, potius ad misericordiam, quam rigorosam Justitiam deflestat, prout in Jure Civili probat *Spatharius sup. Cap. 7. n. 5.* ubi docet: quod in pœnis arbitrariis debeat Judex mitiorem eligere partem. Hinc in similibus magna est cum prudentia procedendum, ponderando singulas Circumstantias tam delinquentis, nimirum Status, Conditionis, Gradus, an sit solitus in eodem genere delinquere, an casu acciderit, an provocatus, lacepsitus, vel coactus, an potius volens, labens, & ex plena deliberatione id fecerit? item num cum scandalo vel ne?

22. Quia verò sèpè hoc Capitulo de Lege mentio facta est, ne quid hac in re desit, opere pretium duxi hic paucis saltim innuere, quid veniat Nomine Legis Regularium. Quia in re *Donatus P. i. rerum Regularium Tract. Pag. 4.* docet. Legem Regularium esse Statuta & Constitutiones eorumdem, tam Generales, quam Provinciales, & à Lege differre non nisi solo vocabulo, prout etiam docent *Syl. in Summ. V. Statutum in Princ. & Ludov. Miranda in 2. Tom. Menualis: Prælat. Quest. 24. Art. 1. Concl. 1. & Quest. 29. Art. 1.* Ubi etiam ostendit Religiosos ejusdem Instituti hospites & advenas & transeuntes, teneri ad observantiam Statutorum illius Provinciæ, vel Conventus, per quos transeunt, idq; ex eo, quia Religiosi Advenæ, ex quo Nostras domos subeunt, subduntur Jurisdictioni illius Superioris, prout deducitur ex Lege *Con. diff. 2. Cap. 13. de itinerantibus Text. 4. fol. 168. Lit. G.* qui proinde plura hac de re scire cupientibus adeundus erit.

23. Judex Regularis Ordinarius exempl. grat. Provincialis, Sententiam semel latam & publicatam, atq; pœnam à Lege suæ Religionis taxatam, non potest deinceps revocare, moderari, aut minuere. Ita *Portel. sup. n. 53. Pellizarius Tract.*

9. Cap. 3. n. 89. Ludovicus ab Ameno in Sentent. q. 8. n. 140. Ratio est, quia talis Judex non judicat tunc ex propria potestate, sed publica, cui tenetur stare, & latâ semel Sententiâ Officium suum implevit. Et licet occurrere possint multæ Circumstantiae, ob quas Judex non solum Supremus, puta Generalis, sed etiam Ordinarius, puta Provincialis, posset ante Sententiam minuere, vel augere pœnas Statutarias, hoc est Juris sui Ordinis, tamen quemadmodum advertit *Portel. sup. n. 56.* illæ Circumstantiae attendi debent ante Sententiam latam, non autem post, nisi in Sententia fuerit apposita clausula. Reservantes nobis *Jus & arbitrium, talem pœnam moderandi,* prout judicabimus pro tempore salubriter, in Domino expedire. Optimè igitur facient Judices Regulares, immediate adductam clausulam in omni Decreto apponendo, ut si delinquens deridit signa veræ pœnitudinis de delicto, valeant pœnam illi assignatam moderari. Per hanc enim clausulam Judices retinent sibi Jus pœnæ minuendæ, quod habebant ante Sententiam latam.

24. Ex his itaq; sequitur, quod Sententiae in pleno Definitorio latæ, non possunt per Provinciale alterari, quia in tali Casu Definitores non sunt Consultores puri, sed veri Conjudices, una cum ipso Provinciali, adeòq; absoluto Officio judicandi, per Sententiam ab integro Definitorio vel cum aliquibus, nequit Provincialis in ea dispensare, quia prout non est major auctoritate, Definitoriō, nam id faceret vel ut Judex, vel ut Pater, non ut Judex, quia sicut non solus judicavit, sic nec solus quod judicavit, sic nec solus quod judicatum est tollere vel alterare potest. Neq; etiam ut Pater, quia potestas Paterna non debet turbare, aut impedire, quæ per juridicam potestatem sunt definita. Unde si ex rationabili causa judicaverit aliquando Provincialis mutandam vel minuen-

minuendam esse Sententiam, si sit in Arbitriis, tunc idem Provincialis debet querere & obtinere primò Consensum majoris Partis Definitorii. Si verò in Statutariis, scribendum erit ad Generalem, cui soli potestas est in similibus moderandis, nisi forte in Sententia similis clausula apposita fuerit, quam supra attulimus numero 23 videlicet: *Reservando Ministro Provinciali facultatem dictam pænam vel nostram decisionem [si sit in aliis negotiis pœnatis] moderandi, prout sibi melius in Domino videbitur expedire*

25. Ad ultimum advertendum est, quod si in aliquo casu Constitutiones Ordinum indefinite loquuntur de pœnis imponendis pro aliquo delicto, puta, si dicatur quod sic delinquens Carceri sit mancipandus, vel voce activa & passiva privetur, ubi neq; temporis limitatio adducitur, neq; perpetuitas declaratur, tunc in tali casu matura deliberatione ponderanda erit gravitas Criminis, si enim illud sit valde grave & atrox, quod perpetuam mereatur pœnam, licet Statutum indefinite loquatur, debet intelligi, quod pœna per illud inficta sit perpetua, prout ex variis Juribus probat *Sanctorus de pœnis Cap. 2. fol. 67.* In dubio autem, licet aliunde juxta *Glossam in Clement. Monaster. Verbo si quis autem, pœna indefinite lata ordinariè sit perpetua, tamen si Crimen non sit adeò immane, existimanda est temporalis. Ita Glossa cit.* ubi addit pœnarum perpetuitatem vel temporalitatem pendere ab arbitrio Definitorii, tanquam Judicis, qui speclata gravitate delicti ex ratione Personæ, modi, temporis, loci, doli, consuetudine peccandi, ac aliis adminiculis, debet pœnae durationem determinare.

C A P U T X X I I I .

De Apellatione.

S U M M A R I U M .

1. Definitio Apellationis.
Ibidem. Hæc necessariò debet esse à minori ad majus Judicium.
2. Debet continere querelam gravaminis injusti.
3. Apellatio alia est Extrajudicialis, alia Judicialis.
Ibidem. Quid sit Extrajudicialis Apellatio & quid Judicialis?
4. Apellationem Judicialem nonnulli confundunt cum recusatione Judicis.
5. Apellatio vera & propria, alia est justa & legitima, alia frivola.
Frivolarum Apellationum Exempla.
Usque ad duodecimum inclusivè.
6. Quod Regularibus appellare non liceat videtur magis congruum eorum Professioni.
7. Hinc variae & diversæ hac in re Doctorum opiniones.
8. Religio potest condere Statutum, quo suis Religiosis prohibeatur Apellatio.
9. Cæterùm absolute loquendo Regularis gravatus, potest appellare à Superiore immediato ad altiore Superiorem.
10. Hinc Regularibus nonnisi convenit appellatio in Causis boni Communis, & maximis gravaminibus propriæ Personæ.
11. Regulares appellare nequeunt, dum puniuntur conformiter ad Statuta sui Ordinis.

19. Neq; à pænitentiis & correctionibus levioribus.
 20. Item à punitione Paterna & mutationibus à loco Provinciali Arbitrariis.
 21. Simpliciter autem loquendo Regularibus non est prohibita appellatio.
 22. In dubio de gravamine, non expedit Regularibus appellare.
 23. Sed nonnisi in gravaminibus magnis & manifestis.
- Ibidem.* Hinc à Sententia Interlocutoria Regularibus prohibita appellatio.
24. Nisi gravamen ex illa ortum sit, irreparabile per Definitivam.
 25. Quæ sint hujusmodi gravamina?
 26. Tridentinum prohibens Regularibus appellare à definitiva, quomodo intelligendum?
 27. Ad quos, & quo ordine Regulares debeant appellare usq; ad trigesimum secundum.
 33. Ubi Apellatio fit à Subdelegato, debet institui ad Delegantem.
 34. Apellatio habet præfixa tempora & modos servandos sub nullitate.
 35. Quæ in Jure fatalia dicuntur, suntq; quadruplicia?
 36. Apellatio à Regularibus debet fieri intra decem dies.
 37. Interposita appellatione Apellans intra 30. dies teneatur petere Apostolos.

Ibidem. Idq; non semel, sed aliquoties.

38. Quid significant Apostoli, petendi ab Appellante?
39. Horum Apostolorum quinque species expenduntur.
40. Regularis appellans, intra sex Menses ab actu primæ instantiæ, omnia sua Jura tenetur producere coram Judice ad quem appellavit.

Ibidem

- Ibidem.* Nisi Judex à Quo, brevius tempus determinaverit.
41. Tempore appellationis à Jure præscripto, vel à Superiori, à quo appellatur, assignato, elapsō, censetur Apellans appellationem deseruisse.
 42. Regularium Appellations ab Interlocutoria Sententia d'ebent proponi in scripto.

Ibidem. Quæ ulterius in tali casu observanda?

 43. Apellatio quæcunque apud Regulares potest fieri intra decem dies quocunq; tempore.
 44. Superior Regularis non deferens appellationi sine iusta causa, graviter peccat.
 45. Similiter denegans Reo appellanti Apostolos.
 46. Reo etiam male appellanti, expedit dare Apostolos refutatorios.
 47. Quod si Judex legitimè petenti deneget Apostolos, appellans petat illos in præsentia duorum Testium.
 48. A quibus postea petendum erit testimonium.
 49. Judex, à quo appellatur, non tenetur statim dare Apostolos Appellant, sed eos potest differre usq; ad 30. dies.
 50. Ubi Apellatio manet notoriè frivola, debet Judex illam talem esse declarare per Sententiam.
- Ibidem.* Quod si Apellans iterum ab hoc Decreto apellet, Judex à Quo, tenetur Apostolos dare.
51. In quo casu Judex, ad Quem cognoscere habebit, tantum de Notorietate frivolare Appellationis.
- Ibidem.* Causa verò principalis, reverti debet ad Judicem, à quo fuit male appellatum.
52. Admissa Appellatione, Judex à Quo, intra 50. dies, tenetur Appellant dare Copiam Processus.
 53. Si Reus sit suspectus, per alium Processus mittendus,
 54. Hinc Reus suspectus etiam ante Sententiam decisivam potest arctari,

55. Suspicio fugae unde possit certò colligi?
56. Reus suspectus ante Sententiam manens detentus, post decisivam non ideo debet dimiti.
57. Sed aliâ viâ copia Processus, Judicij ad quem, remittatur.
58. Quod si Judex à quo, id fecerit, Superior ad quem, poterit Causam terminare.
59. Judex autem à quo suspectus erit puniendus.
60. Melius tamen foret, si ex viciniori Provincia Judices delegentur.
61. Qui elegantur nulla ratione suspecti.
62. Devolutâ Causâ ad Judicem ad quem, omnes actus primæ Instantiæ debent seriò examinari.
63. Ubi Reus appellans inventus fuerit indebetè gravatus, Judex à quo manebit puniendus pænâ arbitriâ.
- Ibidem.* Prius tamen debet sufficienter audiri.
- Ibidem.* Reo autem male appellanti pæna imposta à Judice à quo, duplicatur.
64. Nisi Appellans saltim semiplene probaverit legitimatem appellationis.
65. Si Reus non expectatâ Sententiâ decisivâ, adeat altiorem Superiorem, remittendus est Judici primæ instantiæ.
66. Post Sententiam verò finalem omnis recursus licitus est Reo ad altiorem Superiorem.
67. Quotuplex est effectus Appellationis?
68. Non omnis Appellatio utrumq; hunc fortitur effectum.
69. Nam à Decretis Visitatorum Appellatio suspensiva non datur.
70. Similiter Appellatio non impedit effectum Censurarum.
71. Suspensio tamen ab Officio interdum non currit.
72. Nisi procedatur in Notoriis.

73. Interdum Appellatio nullum fortitur effectum.
74. Appellatio à Sententia Interlocutoria tollitur per illius Correctionem.
75. Appellatione interposita, potest Judex à quo, Appellantem absolvere à Censuris.
1. **A**PPELLATIO est legitima provocatio, à minori Judice ad Majorem, continens injustæ Sententiæ querelam, cuius definitionis claritas & sufficientia quo facilius pateat, illustratur. Dicitur itaq; legitima provocatio, ad excludendas frivolas, & non servato ordine à quo ad quem, pertinet appellare provocaciones. Dicitur à minori ad Majorem, par enim super parem non habet potestatem. Dicitur continens injustæ sive iniquæ Sententiæ querelam. APPELLATIO enim est quasi querimonia contra gravamen, gravamen autem semper est injustum. Unde APPELLATIO debet omnino fundatum habere injustitiam, & inde gravamen Appellant, si enim hoc non adfuerit, APPELLATIO censenda erit omnino nulla.
2. APPELLATIO in prima sui divisione duplex est, nimirum Extrajudicialis & Judicialis. nomine Extrajudicialis venit provocatio interposita extra omnem formam Judicij, nullo præcedente Processu, & hæc potius dicenda est provocatio. Puta, si Superior injungat Subdito pænitentiam prægravantem ejus fragilitatem, & hoc in foro Paterno, vel si aliquid imperet onerosum sub comminatione seria rigidæ & inadæquatæ pænæ. Ita Passerinus Tribunal. Regn. Qu: 32. n. 3. nomine verò Judicialis intelligitur provocatio interposita contra Sententiam latam a Judice præcedente Processu judiciliter & in forma facto.
3. Hujusmodi APPELLATIONEM confundunt aliqui cum recusatione Judicis, ex eo, quia ambæ sunt pro defensione Rei, ambæ debent habere Causam legitimam, ambæ suspendunt Juris-

Jurisdictionem Judicis & Judicii, Causamq; ad altius forum devolvunt, verum multa est disparitas inter recusationem & Appellationem, aliud est enim Personam ex integro vitiare vel vitiosam declarare, aliud unam Sententiam alicujus rejicere, sed de his jam aliunde suis in locis sufficienter actum est, ex quibus hujusmodi differentia inter Exceptionem & Provocationem clarè patet.

4. Porrò Appellatio prout est vera & propriè provocatio, duplex est, Prima dicitur Rationalis justa & legitima, quæ nimirūm interponitur, ad excutiendum injustum gravamen, ab eo, qui illud patitur, & tali Appellatione semper est deferendum, cum sit species justæ defensionis, prout habetur Cap. 11. de *Apellat.* Altera est frivola, frustratoria & inanis, quæ nimirūm adhibetur nonnisi ad protrahendum vel suspendendum Judicium sine ullo debito & justo fundamento, & hæc est semper rejicienda Cap. Cum *Appellationibus de Apellat.* in 6.

5. Harum frivolarum Appellationum plurima exempla adducit *Sanctorus Practica Criminali Tit. Canones circa recursum & Appellationem*, ex quo Gaudentius Kierchove præcipuas collegit sequentes.

6. Prima est, cum appellatur à delicto notorio commisso, Porro in Jure illud dicitur notorium, cuius veritas nulla potest tergiversatione celari. Puta, si quis committat delictum coram majori parte Communitatis, vel in plurimum præsentia, vel quod dici nequit non fuisse factum, ut est Apostasia de uno ad alium Conventum, à tali itaq; delicto notorio, nulla datur Appellatio, prout habetur Cap. Cum *speciali de Apellat.* S. porrò. Pro quo tamen advertendum est, quod etiam in Notoriis Judex saltim per duos Testes debet probare Notorietatem, antequam descendat ad Sententiam, aliter manet locus Appellationi etiam notoriè delinquenti. 7,

7. Secunda Appellatio frivola dicenda est, & habetur in Jure, cum appellat Reus confessus & convictus, ita ut hæc duonimirūm Confessus & convictus sumantur cumulative & simul ad hoc, ut ex hoc Capite Appellatio frivola censeatur, quod quidem & dispositioni Juris Civilis consonat, L. observare Cap. quorum *Apell.* non recipit, ubi dicit Imperator: Argumentis convictus, Testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusq; confessus, ne audiatur *Apellans*, nisi forte pæna inficta pro delicto excederet gravitatem delicti, in casu, in quo in Lege, puta Statutis, seu Constitutionibus Ordinis, pro aliquo delicto pænâ arbitriâ à Judice imponenda maneret, vel si Judex non pæna Statutaria puniret delinquentem, sed aliqua ad suum arbitrium graviori, ut dictum est supra Cap. 22. de *Sententia & pænis.*

8. Tertia Appellatio frivola est, si Reus Judicii legitimè interroganti respondere, vel citatus comparere noluerit, nisi prius purgaverit contumaciam, tales enim per fictionem Legis habentur pro confessis delictum. Ad hoc tamen, ut hæc Appellatio frivola censeatur, non sufficit, quod Reus per contumaciam sit factè confessus, sed ultra requiritur, quod sit sententiatus, seu actu condemnatus. Dicitur autem nisi prius purgaverit contumaciam, nam si Reus alioquin semel vel bis contumax, ante tamen Sententiam latam resipiscens, se humiliet, & vel Judicem accedat, vel si ibi fuerit præsens respondere se paratum offerat, omnia quæ præcesserunt reducantur ad simplicem Citationem. Reus autem audiri debet, & ei competunt omnia ordinaria Juris remedia, prout communiter docent Doctores, & nos differuimus Cap. 18. ubi de *Reo agebatur.*

9. Quarta Appellatio frivola censetur, ubi Reus jam alias Sententiam acceptavit, eiq; subscripsit, aut suo Nomine subscribi

scribi fecit. Tum quia in tali casu Reus jam Juri suo renuntiavit. Tum etiam quia per Sententiam Definitivam Causa jam transivit omnino in rem judicatam, & sic non est amplius locus Apellationi. *Ita Sanctorus de pénis Cap. 26. fol. 340.* ubi addit quod in similibus potest quidem fieri recursus ad Superiorum Judicem, sed per hoc Sententia non suspenditur.

10. Quinto frivole appellatur, si Reus post trinam Apellationem, quartam moveat. Nam ex Jure Canonico non nisi bis vel ad summum tribus vicibus appellare conceditur. *Cap. sua nobis de Apell.* & hoc ex eo, tum ut vitetur infinitas in litigando, tum propter præsumptionem justitiae contra Appellantem, ex quo toties succubuit. Quod autem bis aut ad summum ter concedatur appellare, hoc ideo est, ut si Reus novam fundamentalem rationem, Juris, vel facti, per se invenerit, quam coram uno altero Judice proponere aut nequivit, aut nescivit, eâ se tueri ac defendere valeat.

11. Sexta Apellatio frivola dicitur, ubi Appellans nullam adfert causam Apellationis. Quod autem intelligi debet de Apellatione à Sententia Interlocutoria, vel Extrajudiciali, aut ab excessu in Paterna correctione, minimè vero si appellatur à Sententia definitiva, seu ultimata, judicialiter lata, ut observat *Sanctorus de pénis sup.* Constat namq; est Doctorum Sententia, quod in Apellatione à definitiva Sententia, non requiratur causæ expressio, sed sufficit quod appellans dicat, *apello à gravamine.* Et ita tenet: *Gloss. in Cap. Cum in Ecclesia de Apellat.* Ratio autem cur Appellans ab Interlocutoria vel Extrajudicali correctione potius teneatur reddere rationem immediato Judici suæ Apellationis, quam dum appellatur à definitiva, eaq; Judiciali Sententia, est, quia in primo casu Jus absolute prohibet tales Apellationes, & solum permittit

mittit in casu speciali, ubi nimis modus correctionis exceditur, & Reus indebet gravatur, adeòq; nisi causa Apellationis ostendatur, præsumenda est frivola Apellatio. *Ita Sanctorus in Decal. Lib. C. Cap. 8. n. 105.* Deinde Judex si forte excescerit in modo vel in Interlocutoria, videns causam justam Apellationis a Reo adductam, poterit desistere a gravamine Reo inferendo, & eundem Interlocutorium corrigeret, vel mutare, non sic verò prolata Sententia definitiva, prout habetur *Cap. Si à Judic. de Apellat. in 6.*

12. Septimo frivola est Apellatio, si quis apellet à Sententia Judicis Arbitri, in quem consentit *Cap. Si à Judicibus 2. Quæst. 6.* Verum licet id contingere possit in Causis Civilibus, in Criminalibus tamen Arbitri non eliguntur, nisi ad cognoscendam Causam recusationis, seu Exceptionis, & ab horum Sententia (ubi manifestè appetat) iniqua appellari potest, prout fusè dictum est satis *Cap. 4. ubi de Arbitris.*

13. Utrum autem Regularibus appellare liceat & expedit, non inutilis videtur quæstio. Et sanè attento Religiosi status & vocationis sistente, videtur à Regularibus seu Religiosis, Apellationem debere esse procul alienam, si enim Regulares per vota Solemnia renuntiant suæ voluntati, & omni de se disponendi Juri, si veniunt ut carnem mortificant, passiones vincent, quidni Apellationem ignorent? Ubi enim nonnisi juxta meritum tractantur, nihil mortificationis præseferunt, in hoc enim mortificationem consistere puto, ubi aut mihi aliunde nedum licita, sed & debita subtraho, aut mihi indebita libenter amore Christi pro me plura passi, permanter, aut saltim resignanti in voluntatem Divinam animo, me pro sua misericordia, Paternè affigentis, & castigantis, constanter patior. Ast hoc totum intelligas velim de propriæ Personæ Causa, cui injurias illatas, Apellationis remedio

remedio vitare alienum puto, à bono perfectoq; Religioso. Ubi autem agitur de bono Religionis Communi, vel relaxatione, restringenda, pro tunc zelo Domini zelandum est, nullisq; apellationibus justis & possibilibus parcendum, ne forte in die districti Judicij dicatur nobis, vñ tibi mute canis, quare non latrasti?

14. In diversum itaq; in hac re abiere nonnulli Doctores, præsertim occasione accepta ex Jure Communi, maximè verò Capitulo cum speciali de Apellat: in quo Textus loquitur de Caulis, Personis, & forma recusationis, ubi sic habetur. Cæterum has duas Constitutiones præmissas nolumus ad Regulares extendi, contra suas speciales observantias. Quorum sensum qui cupit, videat Ludovicum ab Ameno P. I. Tit. 3. §. 15.

15. Ubi autem brevitati hoc in opere studetur, proposito nostro satisfactum putatur, hac brevi resolutione hujus difficultatis, quod sit in potestate Religionum condere Statutum sive Constitutionem, vi cuius Religiosi illius Ordinis manerent prohibiti, quascunq; Apellationes aut Recusationes facere.

16. Cæterùm absolute loquendo, & conformiter ad communio rem sensum Doctorum, hac de retractantium, pas simq; practicatum ac usitatum modum in similibus procedendi Regularium, dicendum est: Quod Religiosus sive Regularis, à suo immediato Judice injustè gravatus, ad suum Superiorem altiorem legitimum appellare possit. Ratio est, quia id est conforme Juri naturæ, ut unusquisq; omni meliori modo, se defendere possit. Cui subscripsit: Greg. XIII. in Bulla. Quoniam nostro. Ubi concedit nobis Franciscanis quatenus intra Ordinem appellare possimus. Jam verò generaliter loquendo Cap. Omnis oppressus 29. V. dicitur omnis oppressus libere Sacerdotum si voluerit apellet Judicium, & à nullo prohibeat;

hibeat, sed ab iis, fulciatur & liberetur. Hinc S. Thom. 2. Quæst. 69. Art. ad tertium, absolutè docet, licitum esse Omnibus oppressis, ab injusto gravamine appellare, nullam in hoc inter Regulares & Sæculares ponendo differentiam.

17. Quo igitur medium eamq; tutissimam viam teneamus, sciendum est, Regularibus illicitam esse Apellationem, nisi in Causis boni Communis, & Regularis observantiae Mantenendæ gratiâ, aut in propriis nonnisi gravissimis, & in mandatis aut Correctionibus excessivis, quibus vel pæna Carceris, vel privationis Officii Prælationis, sive actuum legitimorum, infertur.

18. Ex quo sequitur Religiosum appellare non posse, ubi is secundùm Statuta, & modum usitatum ac præscriptum Ordinis, servato Juris ordine punitur. Ratio est, quia Apellatione inventa est ad tollendum gravamen, sed gravamen non sentit, velut verius loquar non patitur Religiosus, dum secundùm Statuta, & modum Ordinis corrigitur, sive punitur, ergo tunc appellare non potest, nisi adsint circumstantiae minuentes pænam Statutariam, prout diximus Cap. 22. de Sententia.

19. Sed neq; convenit Regularibus appellatio à pænitentiis & correctionibus levibus, in quo casu Pænitentiato pa rum injuriæ irrogatur. Ratio est. Tum quia vel à similibus appellare est tranquillitatem Religionis perturbare, & signum maxime Relaxationis, cum regulariter nonnisi inter ambitiosos, superbos & deformatos locum habeat. Tum etiam quia si in similibus licitum esset appellare à Prælato Locali, ad Provinciale, vel à Provinciali ad Superiores Prælatos, varia eaq; gravia inter Religiosos orientur in Religione scandala, & incommoda, puta, contemptus timoris reverentialis erga Superiorem Localem, perq; hujusmodi recursus & dilatationes fere nulla fieret correctio inter Regulares, quod malorum pessi,

pessimum malum foret, si etiam in Regularibus mala, impunita manerent.

20. Similiter multopere vitiosa censenda est Apellatio, si Regularis apellat ab aliqua correctione vel monitione Paterna, item mutatione a loco, aut privatione ab Officio, aut muneribus ad nutum Superioris amovilibus, & cœteris similibus, quæ ad correctionem morum imponuntur, per quos cunq; Superiores immediatos. Ita *Compendium Privilegiorum verbo Apellare*: Et pro nostris Franciscanis, sub anathematis pœna & Actuum legitimorum privatione id vetuit *Julius II. in suis Statutis Cap. 7. §. 9. ad nostram Cap. reprehensibilis de Apellat. Cap. irrefragabili de Offic. Jud. Ord.*

21. Non ut præfata Jura & Pontifices, absolutè prohibeant, ne Regulares unquam appellare possint, sed nonnisi pro eo tempore, ubi Prælati modum correctionis notabiliter non excedunt. Nam *Cap. de Prior. Apell. jubetur graviter puniri Prior Regularis, qui apellationi Religiosi non detulit, & Cap. licet de Offic. Ord. dicit Innocentius III. Quamvis in corrigendis excessibus sit Apellationis diffugium interclusum, non esse tamen sive intentionis remedium Apellationis omnino excludere, quasi id non concedatur, ubi correctionis modus exceditur.* Hinc additur circa similia ex Jure Communi. *Nisi Prælati ipsi excesserint manifestè limites Regulæ & Ordinis Statuta. Ex quo nimirùm deducitur, quod ut Apellatio sit legitima, excessus gravaminis debeat esse notabilis, & manifestus, alias Apellatio esset frivola, & nullo fundamento innixa.*

22. Quid autem faciendum occurrat in dubiis, ubi nimirum dubitetur, an Superior Ordinis excedat in gravamine? *Pr. Kierchove, hæc quidem distingvit, prout videre est apud eundem Cap. 7. §. 2. n. 517. Mihi autem placet Legi clarè loquenti non fore contraveniendum, cum igitur Lex docet*

docet nonnisi in manifesto gravamine fore Religiosis appellandum, hinc in dubio standum est Legis dispositioni. Quia in dubiis tutior pars est eligenda, sive igitur Superior qua Pater, sive qua Judex procedat in correctione Subditi, nisi manifestum appareat gravamen, Apellatio censenda est contra præscriptum Legis, & ideo summopere vitiosa, ut pote dans ansam infinitis ambagibus & impertinentibus recursibus, ac otiosis cogitationibus ad singendos prætextus saltim dubii gravaminis, quo utiq; nil facilius.

23. Ex his autem, quæ hucusq; dicta sunt facile patet, Regularibus licitum fore appellare in re gravi, & manifesto gravamine, qualis est Sententia Definitiva, prout omnes Canonistæ admittunt, minimè tamen a Sententia Interlocutoria, aliisq; gravaminibus, per Sententiam decisivam reparabilibus, juxta decisionem Trident, Sess. 13. Cap. 1. de Reformat. ubi habetur. In Causis Visitationis & Correctionis, sive habitatis, & inhabilitatis, nec non Criminalibus, ante definitivam Sententiam, ab Interlocutoria, vel alio quocunq; gravamine, non appellatur. Et hoc ad obviandum abusibus, qui inde oriri possunt & solebunt.

24. Cæterum additum est in eodem Concilio, nisi gravamen hujusmodi per Definitivam Sententiam reparari, vel ab ipsa appellari non possit. In quo fundamento juxta antiquorum Canonum Statuta, tenetur Provincialis, sive quicunq; alias Judex Ordinarius, vel Delegatus, Apellationi deferre.

25. Talia autem a quibus Reus ante definitivam appellare potest, sunt sequentia. *Primò Captura cum coniectione in Carcerem, puta, si Reus non sit suspectus de fuga. 2dò Tortura, hinc Reus à Decreto Torturæ appellare potest. 3tio Excommunicatio & Suspensio, à qua etiam datur Apellatio. 4tò Privatio aliquo publico Officio, vel consequendo, vel consecuto, puta, si aliquis declaretur inhabilis ad aliquod Officium,*

cium, vel Superior Loci cogatur a suo Conventu abscedere, donec compleatur Processus, & his similia.

26. Quod verò dicitur a Concilio Trident. *vel ab ipsa definitiva appellari non possit*, hoc itaq; debet intelligi, si nimirum Sententia Interlocutoria vim definitivæ habeat, quando nimirum per Interlocutoriam Sententiam, articulis Causæ Substantialis, vel tota Causa perimitur, licet indirectè tantum, ut si quis repellatur ab agendo id est declaretur, quod non possit esse Actor, vel reiiciatur ab Actore Testis, quô amotô alter Actori non subest, & hic a testificando abjudicatur.

27. Ad quos autem Regulares appellare debeant? facile occurrit resolutio ex Communi omnium Theologorum consensu. Quod nimirum hæc fieri debeant necessario ad Superiores altiores sui Ordinis, seclusis aliis quibuscumq; præter Sedem Apostolicam. Ratio est, quia aliter procedens, contra suos Judices consurgit inverso ordine Juris, & totum Ordinem, quantum in se est injustitiæ accusat, atq; diffamat, quasi in tota Religione non fieret justitia, neq; reperirentur ad quos possit recurrere. Quæ proinde mala considerantes Summi Pontifices, varias contra similes statuere pœnas. Sic Bonifacius XI. *Bulla Sacrae Religionis* prohibuit quam strictissimè Fratribus & Sororibus Ordinis Prædicatorum, ne a quacunq; correctione, quavis occasione & prætextu apellent coram quocunq; Judice, qui non sit de suo Ordine. Jam verò Leo X. *Bulla Romani Pontificis* pœnam Excommunicationis in secus facientes fulminavit.

28. Porrò Gregorius XIII. in *Bulla Quoniam Nostris* Fratribus Minoribus nobis inquam Franciscanis, nedum sub pœna Excommunicationis, verùm etiam privationis vocis activæ & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad eadem id ipsum rigidissimè prohibuit.

29. Ordo autem Appellationis hic **omnino** Regularibus servandus occurrit, ut a Superiore Locali ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali demùm ad Sacram Congregationem, seu Summum Pontificem provocetur, ita ab Inferiore provocare non licet ad Superiorem, nisi latè Sententiâ Inferioris, prout patet ex Bulla citata *Gregor. XIII. Ubi si se à Prælatis suis gravari prætendant, ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Vice Protectorem in Romana Curia, vel ad Nos, sive Romanum Pontificem Successorem nostrum Supremum in Ecclesia DEI Judicem, recursum habeant. Unde illis brevi manu justitia ministrabitur.*

30. Quô locô advertendum est, quod tempore Gregorii XIII. Tribunal Sacrarum Congregationum nondum fuerat erectum, & ideo illud muneri discernendi Causas Regularium, fuit commissum Ordinum Protectoribus, verùm *Innocentius XII. in Bulla Christi Fidelium data Anno 1693.* districtè inhibuit Ordinum Protectoribus, ne ipsi Causas Regularium in quacunq; instantia cognoscant, Sicq; ab hoc tempore à Generali ad Sacram Congregationem Appellatio manet devolvenda.

31. Cæterùm si quando Regularibus sit faciendus recursus ad Sedem Apostolicam, is non prius institui poterit, donec coram altiori Superiore Ordinis Causa & gravamen Appellantis fuerit discussa & decisa. *Idq; ex Bulla Sixti V. incipient: ad Romanum Pontificem, nec non ex Decreto Sacrae Congregationis sub eodem Sixto, Anno 1587. lato, citato à Peyrino in additione ad Const: Leo. X. Cap. 4. n. 15. quod sic sonat: Quoniam nonnulli Regulares, vagandi studiō, sive dum imminentem admisſorum Criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut alias sibi debitam, metuunt falsa & commentita gravamina causati, non ad immediatos sui Ordinis Superiores, prout uniuscujusq; Ordinis Constituta.*

stitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absq; licentia s̄epius fugiant potius, quām recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores evadunt. Placuit Sacrae Regularium Congregationi, ex Ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium in posterū temere levi ex causa, hanc aliam Urbem, seu Curiam, absq; sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumperit, ad suos eosdem Superiores severiori pena plectendus remittatur.

32. Licet igitur Canonistæ communiter doceant semper licitum esse omisis mediis Superioribus immediate recurere ad Summum Pontificem, prout colligitur ex Cap. ad Roman. 2. Quæst. 6. prout absolute tenet Portel. V. Apell. n. 3. id tamen attentis dispositionibus Gregorii XIII. & Sixti V. Regularibus non esse licitum, prout expresse docet Antonius à S. Spiritu sup. n. 788. Ubi in confirmationem suæ doctrinæ allegat Bullam Urbani VIII.

33. Ubi autem occurrat Apellatio à Subdelegato instituenda, illa fieri debet non ad Delegatum; qui subdelegavit, sed ad Delegantem, nisi Delegatus fuerit ad universalitatem Cauſarum. Ita Sanctorus Præctica Criminali Tit. Canones &c.

34. Quia verò pro Apellatione constituta sunt certa tempora, & modi servandi, quibus elapsis vel neglectis, Apellatio redditur deserta, & quasi moritur, ut colligitur. L. cum lite mortua ff. judicatum solvi. Unde etiam ejusmodi tempora fatalia Apellationum vocantur, Hinc scire expedit, quo tempore, & modo, Regularibus maneat apellantum.

35. Hujusmodi autem fatalia Apellationum sunt quadruplicia. Primum est. Interponendæ Apellationis. Secundum Petendi & concedendi Apostolos. Tertium & Quartum. Prosequendi ac finiendi Apellationem. 1^{um} Respicit tempus, in cuius spatio Reus debeat appellare. 2^{dum}. Intra quod tempus debeat petere

petere Apostolos. 3^{tum}, quam primum debeat se præsentare Judici, ad quem appellavit. 4^{um} Intra quod tempus debeat Causam terminare, quam ad altius subsellium evocavit, Quæ omnia quid sibi velint, quidve significant, manent explananda.

36. Itaq; quod attinet 1^{um}. Sciendum est, ex Juri præscripto, quod Apellatio à Regularibus debeat fieri intra decem dies, à die latæ Sententiæ. Cap. Anteriorum 2. q. 6. Cap. Concertationi de Apell. in 6. alias Sententia transit in rem judicatam, & amplius Apellationi non manet locus. Porrò illi decem dies, computantur de momento in momentum, ita quod quælibet dies habeat 24. horas, adeoq; si Sententia sit lata die Lunaे hora 11. decem dies complebuntur die Jovis sequentis Hebdomadæ hora 11. Cæterum decem dies hujuscemodi, non manent numerandi à die & hora latæ Sententiæ, sed à die & hora intimationis, seu publicationis factæ Reo. Ita cum aliis Sanchez Lib. 3. Consil. dub. 32. n. 22. Et Ratio est, quia illi decem dies concessi sunt à Jure in favorem Rei, ut hoc temporis spatio possit deliberare, an possit stare Sententiæ, an verò debeat appellare, qui autem ignorat, quid cum illo agatur deliberare nequit, unde Reus prius debeat habere notitiam Sententiæ, antequam circa illius acceptationem deliberet, simile Judicium formandum est de illo qui maneret legitimè impeditus ad apellantum (si tamen impedimentum ad apellantum foret ex parte Judicis) tunc Reus intra decem dies coram Viris honestis præmittere debet protestationem, quod appellare non poslit. Cap. final. de Apell.

37. Quod attinet 2^{dum}, Reus appellans tenetur interposta Apellatione, vel eodem contextu, vel intra 30. dies petere à Judice, à quo appellat Apostolos, seu Literas dimissoriales

les accedendi Judicem ad quem appellatur, alioquin si intra hoc tempus id non fecerit Reus, habetur pro non appellante, & præsumitur factæ Apellationi renuntiæsse. Sicq; licitum est Judici, non obstante Apellatione, ad ulteriora procedere. *Cap. ab eo de Apell. in 6.* Licet autem habeatur *in Clement,* *quamvis rigor de Apell.* Quod Apostoli petuntur, non semel aut bis, sed sæpè & sæpius, tamen *Gloss.* *in Cap. ab eo* docet sufficere si dicatur: Apostolos peto & iterum peto, & iterum, hic enim modus loquendi æquivalet mutis expostulationibus diversis temporibus factis.

38. Porrò hujuscemodi Literæ dimissoriales, dicuntur in Jure, Apostoli, à Græco verbo *Apo* quod significat *de & solos* quod significat *Missio*, quasi dimissio, illis namq; dimittitur Apellans à Judice a quo, ad Judicem, ad quem appellavit, ut coram illo Causam suam prosequatur.

39. Horum autem Apostolorum quinque species assigantur. Primi sunt *Conventionales*, quos dat Pars litigans alteri Parti appellanti, quibus testatur se Apellationem admittere, sive id fiat in Judicio, Judice refutante vel favente, sive extra Judicium de his agitur *Cap. sæpè de Apell.* Alii sunt *Refutatorii*, quibus Judex a quo, significat Judici ad quem se Apellationem non admisisse, exprimendo causam rejectonis, & de his habetur *Cap. 1. de Apell. in 6.* Tertiis sunt *dimissorii*, quibus Judex a quo, testatur de Apellatione interposita & admissa, de his igitur *Cap. ab eo in 6.* Quarti sunt *Reverentiales*. Quibus Judex a quo testatur se ob solam reverentiam Superioris deferre Apellationi, cui justè deferre non debebat. *Cap. 1. in 6.* Quinti tandem sunt *Testimoniales*, qui dantur non a Judice, sed a Notario vel Viris honestis, qui testantur Reum vel coram Judice petere Apostolos non potuisse, vel tempore & modo debito petiisse & sibi fuisse negotios.

40. Jam verò quod respicit 3tium & 4tum. Reus apellans interposita Apellatione, debet intra sex Menses, sua Jura & Acta primæ Instantiæ coram Judice ad quem exhibere, & suam Causam prosequi, quibüs elapsis censetur Apellationi cessisse, & Causa manet deserta, nisi infirmitate vel aliquo alio legali impedimento se detentum fuisse ostendat, quo minus Apellationem prosequi potuerit. Ita *Sanctorus, aliq;* *passim.* Nam licet ex Jure Communi *Cap. Cum sit Romana & Cap. ex ratione de Apell.* ad prosequendam Apellationem detur Annus, vel etiam ex evidenti causa biennium. Quo ad Religiosos tamen dispositio Juris communis est limitata ad sex Menses. Ut scilicet Causæ Criminales, quæ Religiosam pacem turbant, citius terminentur. Hoc verò intelligi debet, nisi Judex a quo terminum Reo abbreviet, prout potest, ex *Cap. Cum sit Romana.* Ita tamen, ut termini præfixio non sit nimis abbreviata, attenta longitudine itineris, Rei ætate, & corporis valetudine, alias Reus poterit terminum prolixiorum petere, & si Judex dare renuerit a tali abbreviatione appellare, prout docet Paslerinus sup. n. 13.

41. Quod si Reus terminum competentem transgressus sit, nullamq; causam legitimam adduxerit, censetur Apellationem deseruisse, & tutum est Judici à quo, ad Sententiæ executionem procedere. Hoc ipsum tenet Barbosa in locum Trident. *Seff. 24. Cap. 20. 21. & sequentibus,* ubi habet. In Causis Criminalibus tenebitur Apellans intra sex Menses, à die interpositæ Apellationis computandos, ita coram Judice Apellationis Causam suam prosequi, ut etiam expeditionem reportet, quibüs elapsis, & expeditione coram Judice à quo, non reproducta, tenetur idem Judex à quo, ad quamcunq; instantiam, etiamsi Acta fuerint transportata, Sententiam ipsam debitæ executioni omni mora postposita demandare,

ut statuit S: mem. Pius V. Ita ille, ubi per expeditionem intelligi debet prosecutio Causæ, quia non potest Judex à quo, assignare terminum, intra quem Apellatio finiatur, quia hoc esset imponere Legem Superiori, ut habetur *Cap. ex insinuatione de Apell.*

42. Si Reus apellet à Sententia Interlocutoria vel extra-judicialiter a gravamine, Apellatio debet fieri in scripto, & porrecto Libello appellatorio, in quo debet exprimi Causa Apellationis & Persona Apellationis *Cap. 1. de Apell. in 6.* Nec potest Apellans in ipsa apellatione alias Causas prosequi, præter nominatas & expressas in Apellatione. Similiter Processus Primi Judicis, a cuius Interlocutorio vel gravamine fuit appellatum, non potest neq; justificari, neq; impugnari, ex Actis novis & de novo producendis, sed tantum ex illis, quæ coram illo acta & producta fuerunt, uti patet ex *Clementina Apellant de Apell.* obligatur insuper ab Interlocutoria, vel gravamine ante definitivam Sententiam Apellans ad probandum non solum quòd opposuerit exceptionem legitimam, & appellaverit, sed etiam quòd legitima exceptio opposita non fuerit admissa, & ideo appellaverit. *Ex Cap. Delect. de Apell.* Nisi forte Sententia Interlocutoria habeat vim definitivæ & irreparabilis, quemadmodum diximus, ut notat *Sannig. sup. Cap. 7. n. 5.* Jam verò in Apellatione a Sententia definitiva, hoc est ultimata, non est opus ut Apellans, aut in scripto Apellationem interponat, aut alleget causam Apellationis in specie, sed sufficit si dicat in genere, se esse gravatum, vel Sententiam esse difformem justitiæ, vel quòd simpliciter apellet a Sententia. Ita habetur *Cap. 1. de Apell. in 6.* Si autem Apellans taliter alleget aliquam Causam, hoc non obstante coram Judice ad quem, poterit alias quascunque Causas allegare, novosq; Processus instituere, ac novos Testes addu.

adducere, & prius non allegata allegare, ac non probata probare.

43. Apellatio quæcunq; fieri potest apud Regulares, quolibet die intra illos decem a Jure requisitos, sive nimirūm feriato, sive non. imò etiam & de nocte, si tunc illius a quo appellatur, copia haberí queat, ita *Ghisterius Cap. 15. n. 36.* ¶ 37.

44. Apellatione interposita Judex a quo appellatur, si illi non deferat, hoc est si non acquiescat, & illam non concedat, graviter peccat. Est indubitatum imò certissimum apud omnes. Hinc rectè *Navarrus Comment. 3. de Regul. n. 15.* docet iniquè & irreligiosè valde facere Praelatos, qui justas Apellationes, a se oppressorum non admittunt, & debere acriter castigari, & iniquitatem iniquitati apponere eos, qui non admittunt, nec dant licentiam prosequendi, & adeundi Superiores, & pessima malis accumulare, quia non solum negant prædicta, sed etiam conjiciunt in Carceres duros, inediā torquendos, donec Apellationi renuntient. Ita ille.

45. Similiter peccat Judex a quo, denegans Reo petenti Apostolos, & si obstinatius procedat, & Processus non vallet. *Cap. ab eo de Apell. in 6.* Si is, a quo appellatur, Apostolos appellanti non tribuat requisitus, & tunc si forte in Causa procedat, ejus invalidus est Processus.

46. Hinc Reo male etiam appellanti potius expedit dare Apostolos Refutatorios, quàm simpliciter denegare, ita *Glos. in Cap. Cum Apellationibus hoc Tit: in 6:* Sic enim non ablebat Reum a sua Jurisdictione, sed intendit coram se continuandum ac Reum remittendum ad suum Tribunal, si Judex ad quem, judicaverit Reum male apellasse, quod non faceret si in tali casu daret Reo Apostolos dimissorios vel reverentiales, nam per hujusmodi Apostolos Judex Jurisdictionem in illa

illa Causa abdicat & transfert in Judicem ad quem, ut clarè habetur *Cap. Cum Apellationibus Cit. S. Si verò.*

47. Quod si Judex Reo legitimè petenti Apostolos Apellationem non admittat, & Apostolos dare recuset, debet Reus in præsentia duorum Patrum Graviorum, a se in Testes vocatorum cum omni humilitate Judicem a quo appellat accedere, eiq; hæc & his similia dicere: R. P. Non ut vestra Decreta spernam, sed ut meæ indemnati consulem, cogor a Vestra Sententia, vel Mandato, vel Decreto appellare, appellavi jam, & denuo apello ad Superiorem N. & Apostolos peto, & instanter peto, & hoc in præsentia Patrum N.N.

48. Quod si Judex in negatione persistat, Reus accedat Patres illos, quos sibi in Testes suæ Apellationis adscivit, & ab ipsis accipiat Apostolos testimoniales, sed hoc nonnisi post tempus 30. dierum ab interposita prima Apellatione, vel intimata sibi seu publicata Sententia.

49. Quare opere pretium scire est, pellare volentibus, quod Judex a quo appellatur, non tenetur statim ac Apellatio manet interposita pronuntiare, an Apellationem admittat, vel ne, & quos Apostolos Reo dare velit, sed habet ex Jure 30. dies ad liberandum, prout patet *ex Cap. eo de Apell.* in 6. ubi habetur: ab eo qui appellat, intra 30. dies instanter Apostoli peti debent, & eidem intra dictum tempus a Judice exhiberi.

50. Quod si Apellatio notoriè sit frivola, Judex non debet illi deferre, sed rejicere, ut habetur *Cap. Cum Apellationibus hoc Tit. in 6. ibi Quando Judex à quo, præsumit Apellationem frivolam, non deferat [Apellationi].* Si itaq; manifestè patet Apellationem fore frivolam, ex Jure, puta, ubi talis a Lege censetur, juxta dicta supra, vel ex facto, quia notoriè est falsa, non debet concedere Apostolos, nec quidem Refutato.

tatorios, sed debet pronuntiare de notorieta frivola Apellationis, & Apellationem rejicere, & ad ulteriora procedere, Quod si Reus iterum a Sententia Declaratoria notorieta apellet, debet Judex hanc secundam Apellationem admittere, & Apostolos Reformatarios dare.

51. Quo factò devoluta Causa ad Judicem, ad quem facta est provocatio, si ille Judex pronuntiaverit non constare de notorieta, ipsius erit procedere ad cognoscendum super validitate Causæ Apellationis. Si verò sententiaverit constare de notorieta frivola Apellationis, tunc Causa principali revertitur ad Judicem, a quo fuit appellatum, quia tunc ex integro ruit Apellatio. *Ita Ludovicus ab Ameno sup. n. 42.*

52. Admissa Apellatione, sive quia de Jure est admittenda, sive quia ob reverentiam Judicis ad quem, illi detulit Judex a quo, debet is intra 30. dies dare Reo copiam Processus sigillatam, ne scilicet Reus cum præjudicio justitiæ videat merita Causæ, & quid in Procesu contra eum constet, vel ne quid subtrahat quod sibi nocere putat, cum obedientia, id est Literis Obedientialibus seu Apostolis præsentandis Judici ad quem, ita *Concil. Trident. Sess. 13. Cap. 3. de Reformat.*

53. Ubi verò Reus sit suspectus de fuga, non est dimittendus, sed illo interim manente sub custodia detento, Procesus a Judice a quo, transmittatur ad Judicem ad quem. Qua in re *Concilium Trident.* statuit tempus triginta dierum in quo spatio necessario remittendus erit Procesus, idq; ad obviandum malitiæ, vel passioni aliquorum Superiorum, qui Processum remittere quandoq; retardarent, ut interea miserrimus Reus intra Carceris angustias afflitus remaneat. Ideò autem potius detinendus sub custodia suspensus Reus de fuga, quam dimittendus dicitur, ut parcatur honori Religio-

nis,

nis, & obvietur scandalo, quod ex turpi fuga similium suspectorum oriri posset.

54. Ex his igitur colligitur, quod interdum ante Sententiam decisivam Reus suspectus de fuga possit arctari sub custodia, id est in loco Carceris collocari ut exempl. grat. si adsit vehementis suspicio, vel indicia gravia vel semiplena probatio, quod aliquis aliquod Crimen grave commiserit, ob quod incarcerandus manet, & sit insuper de fuga suspectus, in hoc tamen casu debent Superiores quam cautissimè procedere, ne DEUM offendant, & suorum Subditorum honorem laudent.

55. Porro suspicio fugae ex duobus Capitibus oriri potest, 1^{mo}. Ex Conditione Personæ, si nimis Reus sit Juvenis levis, dissolutus, indevotus, aut extrajudicialiter aliquid de fuga locutus, aut res suas visus componere, & alia his similia. 2^{do}. Ex qualitate delicti, si nimis Crimen sit grave, cui deberetur longa incarceratio, tunc enim recta ratio suspicionem generat. *Ita Sanctorus de pénis Cap: 4. n. 20.*

56. Quod si Reus ob suspicionem fugae sit in detentio-
ne ante Sententiam, & post illius promulgationem apellet,
non ideo erit dimittendus, quia eadem suspicio non cessat,
imò augetur per Sententiam. Idem est Judicium formandum,
si Reus per Sententiam jam sit carceratus, & Sententia exe-
cutioni demandata, & ipse demum apellet, alias plurimi Rei
evaderent impuniti, nam redditii liberati fugam arriperent,
& Judicium eluderent. Cum tamen Carceres principaliter
ad Reorum custodiam sint instituti, nec pro illo casu videatur
Judex à quo, aliquid innovare contra Reum, sed jus publi-
cum assecurare.

57. In illo itaq; casu sufficit quod Judex a quo apella-
tur, Reo in Carcere detento, transmittat per alium acta Pro-
cessus

cessus ad Judicem ad quem appellatur idq; intra spatium 30.
dierum.

58. Quod si Judex a quo intra hoc spatium puta 30.
dierum, non remiserit Acta ad Judicem ad quem, potest tunc
absq; illis Causa Apellationis terminari, prout justitia sva-
rit juxta *Concil. Trident. decisionem.*

59. Judex autem a quo ut suspectus de malitia, aut Le-
gis ignorantia, manebit puniendus, non enim minus justum
est in hujusmodi passionatos aut ignorantes Judices ani-
madvertere, quam fontes Subditos dignis pénis pro excessibus
coercere.

60. Ut autem tollantur evagandi occasionses & Religiosa
quies minus perturbetur, consult Ludovicus ab Ameno sup.
n. 44. melius semper fore, ut scribatur Judici ad quem a-
pellatur, & à longe constitutum, ut ipse deleget Judices, qui
de Causa Apellationis cognoscant. Unde Statuta nostra Ge-
neralia habent. *Cap. n. 17.*

61. *Quod si Apellationis Causam in partibus committi con-
tingerit, aliquibus probatissimis Patribus ex vicinioribus Provinciis
committatur, qui nulla sint ratione suspecti.*

62. Devoluta Causa ad Judicem ad quem, Judex ad
cognitionem Causæ non potest procedere, nisi accuratè re-
visis Actis primæ instantiæ, a Judice à quo, sibi transmissis, idq;
sub nullitate Actorum, ita *Concil. Trident. sup. ibi Reus Apel-
lans coram Judice ad quem appellavit, Acta primæ instantiæ omni-
no producat, & Judex nisi illis visis, ad ejus absolutionem mi-
nimè procedat.* Hoc autem intelligi debet, nisi vel Reus A-
pellans, vel Judex à quo, Acta Processus tempore debito ad
Judicem ad quem transmittere negligat. Nam ut dictum
est supra, Reus Apellans intra sex Menses Jura sua & Acta
primæ instantiæ, Judici ad quem, exhibere tenetur, alias

Apellatio censetur deserta. Et Judex à quo, tenetur intra 30. dies Acta Processus transmittere, aliás Causa poterit absq; illis terminari prout Justitia svaferit.

63. Judex ad quem postquam invenerit Reum indebet judicatum, vel notabiliter gravatum, debet Judicem à quo fuit apellatum punire pñnâ arbitrariâ, pro qualitate excessus. Antequam autem Judex à quo punietur, vel Sententia ipsius reformatur, debet audiri, ut si possit honorem suum tueatur, & se bene processisse doceat. Videatur hac in re *Sanctorus de pñnis Cap. 26. fol. 342.* Si verò Judex ad quem inveniat Reum rectè judicatum à Judice à quo, debet Apellantî pñna imposta duplicari. Si Apellatio interponatur à Sententia ultimata, si verò sit ab Interlocutoria, debet Reus remitti ad Judicem à quo, & ab illo puniri dupli pñnâ.

64. Si autem Reus saltim semiplenè probaverit rationalitatem Apellationis, immunis erit a pñnæ duplicatione.

65. Ubi verò Reus non expectata Sententia Definitiva & nullo gravamine pñcedente, reliet à primâ instantiâ adierit Superiorem ad quem, tunc in tali casu remittendus manebit ad Judicem a quo, & pñnâ Apostasiæ puniendus. Ita *Sanctorus in practica Criminali Tit: Apellat. & Concil: Trident: Sess: 25. de Regul: Cap: plura de his qui cupit, accedit Sanctorum cit: vel Gaudentium Kierchove Cap: 7. §, 7.*

66. Si enim Reus per Sententiam sentiat se esse gravatum, deq; gravamine protestetur & apellet, & non audiatur a Superiore, a quo, nolente deferre Apellationi, sed amplius gravante Subditum Reum, nec dante licentiam adeundi Superiorem altiorem, tunc in tali casu Reus fugiens ad Superiorem ad quem, non incurrit pñnam Apostasiæ. Quia cum protunc Subditus sit injustè gravatus, justè poterit de-

gra-

gravamine conqueri & confugere ad Superiorem altiorem; qui potens est eum ab indebito gravamine liberare, Ita *Peyrinus de Subdito Qu: 1. Cap: 20. Similiter Portel. verbo Habitus in additione n. 3. Diana Tom. Tract. 2. Resolu. 115.*

67. Porrò effectus Apellationis duplex est: videlicet, *Devolutivus & suspensivus.* Imus consistit in eo, quod per Apellationem cognitio Causæ devolvatur ad Judicem ad quem appellatur, ita ut is judicare debeat, & cognoscere de legitimitate & justitia Apellationis. *2dus* verò id habet, quod per Apellationem suspendatur omnis Jurisdictio Judicis a quo appellatur, quantum ad illam Causam in tantum, quod pendente Apellatione nihil possit facere, nec quidem Sententiam executioni mandare, si quis ante illius executionem legitimè appellaverit, sed omnia manere debent in eodem statu, in quo erant tempore interpositæ Apellationis, donec de ea cognoscatur, & decidatur a Judice ad quem *Cap. Dilectis Filiis, de Apell. & Cap. Si à Judice eodem Tit. in 6.*

68. Cæterum non omnis Apellatio duplē hujuscmodi fortitur effectum, sed aliquando solum habet effectum *Devolutivum.* Sic statuit *Concil. Trident. Sess. 22. de Reformat.* *Cap. ubi habetur.* Nec Apellatio executionem, quæ ad morum correctionem pertinet suspendat, & *Sess. 24. Cap. 10. agens de Virtutibus & morum Reformatoribus ait.* Nec in his ubi de *Visitatione,* aut morum correctione agitur ulla inhibitio, Apellatio seu querela, etiam ad *Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquomodo impedit aut suspendat.*

69. Ex quibus verbis clare patet *Concil. Trident;* determinasse, quod a Sententia, seu Decreto Visitatorum non possit appellari Apellatione suspensiva, idest qua suspendatur, seu impediatur executio eorum, quæ a Visitatore sunt de-

S2

creta,

creta, modo Visitator maneat intra terminos Paternæ Visitationis, & sine Processu & absq; scripto, hoc est examine, in scripto procedat.

Quod verò simpliciter & absolutè non possit appellari a Decretis Visitatorum, non videtur habere citatus Textus. Unde si Visitator sine ullo præcedenti Processu ordinet aliquid ad bonum Commune, vel particulare alicujus Personæ, & aliqui apellent, potest quidem Judex ad quem, cognoscere de prætenso gravamine, & excessu in corrigendo, sed interim ordinatio seu Decretum reformationis debet executioni mandari, prout idem Concilium apertè declarat *Sess 13. Cap. 1. vide Zypeum in responsis de Jure Canonicō. Lib. 2. de Apellat. Resp. 3.*

70. Similiter Apellatio non impedit effectum Censuræ latarum ab homine, videlicet Judice Ordinario, quales sunt: Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum, sed hæ semper sequantur Reum, ut dicitur *Cap. Pastoral. §. V. &c. de Apell.* Dummodo illæ Censuræ latæ sint antecedenter ad Apellationem, post Apellationem autem interpositam fulminatæ, nedum nihil roboris habent propter defectum Jurisdictionis, quæ per Apellationem manet suspensa, sed etiam dant ansam, & occasionem legitimam, novæ protestationis & Apellationis a gravamine, prout habetur *Cap. Dilectis Filiis, & Cap. ad hec de Apell. Noveris quod post Apellationem excommunicari non possunt.* Si Excommunicatio vel alia Censura lata sit sub conditione exempl. grat. de furto, aut sit mere comminatoria, ut si aliquis Superior dicat Subdito: nisi hoc feceris sub illud tempus sis excommunicatus, Apellatio subsequens suspendit Censuræ effectum, dummodo fiat ante conditionis eventum, deducitur ex *Cap. Præterea 2. de Apell.*

71. Si Provincialis vel alias Superior suspendat Superiorem

De Apellatione

141

riorem Localem à suo Officio, & non assignet causam Suspensionis, poterit Superior Loci ab illa Suspensione appellare, interea stante sua Apellatione, continuare Officium, inq; ipsius exercitio manere. Et ratio est, quia Provincialis non potest suspendere Superiorem Localem, nisi ob causam manifestam & gravem. Ubi igitur Provincialis non assignat causam, signum est, vel quod nulla subsit, vel nulla determinatè assignari queat. Cum autem Suspensio hujusmodi non sit Censura, Apellatio ab illa sortitur utrumq; effectum, tām nimirūm devolutivum, quām Suspensivum.

72. Idem sentendum est, si Provincialis assignet quidem causam, sed talem, quæ aut vera non est, aut non sufficienter probata, aut per Statuta Ordinis non sufficiens ad suspendendum Superiorem Localem. Ubi verò causa est in Statutis expressa & evidens, ac notorium sit Superiorem Locum talem dectum commisso, Apellatio hujusmodi nihil obest, quo minus suspensio Superioris Localis suum sortiatur effectum, nisi forte Provincialis inscitia, vel reverentia Superioris alteris duebas, Apellationi detulerit, & tunc Apellatio utrumq; sortietur effectum, tām nimirūm Suspensivum quām devolutivum. Ita *Rodrigues Tom. I. Quæst. 29. Art. 7 & Spathorius Tract. 10. Part. 4. Cap. ult. n. 3.*

73. Et si autem Apellatio à Sententia Definitiva ordinariè utrumq; sortiatur effectum, tām nimirūm devolutivum, quām Suspensivum, si nimirūm apelletur, antequam Sententia executioni sit demandata, prout alias dectum est, tamen in Criminalibus gravibus & scandalis, etiam si apelletur, potest Sententia executioni mandari, si Reus confessus, vel convictus fuerit Apellatione non obstante collig. ex *Cap. Cum speciali de Apell.*

74. Apellatione posita à Sententia Interlocutoria, & acce-

acceptata, Judex a quo, poterit gravamen illatum per primam Sententiam revocare, seu tollere per aliam Sententiam, & tunc in Causa principali procedere, nisi Judex ad quem inhibuerit, ne Judex a quo amplius procedat *Cap. à Judice de Apell. in 6. & Cap. Cum cessante de Apell.*

75. Pari modo licet per Apellationem suspendatur Jurisdictio Judicis a quo, potest tamen is post interpositam Apellationem eum quem excommunicavit, vel personaliter interdixit, ab his Censuris absolvere, si sic innodatus id petierit, & sufficientem cautelam præstiterit, licet Parte adversa contradicente & appellante ne is absolveretur. Ita habetur *Cap. qua fronte de Apell.*

C A P U T XXIV.

Praxis Visitationis Generalis Paternæ à Provinciali faciendæ.

S U M M A R I U M.

1. Initium illius.
2. Continuatio.
3. Quæ primò visitanda?
4. Examinis instituendi forma, & puncta Interrogationum.
5. Modus examinandi Fratres.
6. Si scribere nesciat examinatus.
7. Pari modo omnes visitandi.
8. Completa Visitatione Fratrum quid faciendum?

9. Visitator debet exprimere suum Nomen & Cognomen.

10. Si Visitator Generalis similem instituat Visitationem, nonnulla mutanda,

11. Videlicet debet exprimi quod sit Delegatus.

12. Potest specialiter inquirere de vita Provincialis & anterioris Commissarii Generalis.

13. Puncta Interrogatoria.

Cætera sumenda paucis mutatis, ex numero octavo.

In Nomine Domini, Amen.

1. Hæc est Visitatio Generalis quam facere intendit Fr. NN. Minister Provincialis Provinciæ N. in Conventu N. ad S. N. die N. Mensis N. Anno N.

2. In Tractatu Canonicae Paternæ Visitationis postquam pervenimus ad hunc Conventum N. Convocationis Capitulariter Fratribus, illis juxta morem Verbum DEI proposuimus, Visitationemq; imminentem intimavimus, omnes in Domino admonendo, in ò formali Obedientiæ præcepto obstringendo, ut semotis, odio, livore, omniq; pravi animi affectione, sola charitate ac Regularis Observantiæ zelô moti dicerent, quæ de Jure dicenda in hoc Conventu inveniuntur.

3. Postea visitavimus Ecclesiam incipiendo ab AUGUSTISSIMO SACRAMENTO, deniq; Altaria, Oleum Infirorum, Reliquias Sanctorum, Capellas, Confessionalia, Sepulturas, Sacristiam, cum Paramentis & Vasibus Sacris, Officiis Conventus & Cellas Fratrum. Et hic describatur per extensum in quo statu prædicta reperta sunt.

4. Tandem ubi nos recepimus ad Cellam solitæ nostræ Residentiæ, vocatis singulis Fratribus ab ultimo recipiendo, unumquemq; illorum super sequentibus Articulis interrogavimus.

1. An in Divino cultu Religiosa Devotio & pietas elucescat?
 2. An Sacri Ritus & Ceremoniae ad præscriptum Constitutionum serventur?
 3. An ad Divina Officia die noctuq; omnes qui tenentur diligenter convenient?
 4. An in Ecclesia aliquis indevote versetur, aut confabuletur?
 5. An in Refectorio vita Communis servetur, & Lectio ad Mensam continuo habeatur?
 6. An Silentium locis & temporibus debitum servetur?
 7. An non inveniuntur transgressores Votorum & Praeceptorum Regulæ essentialium?
 8. An aliquis Religiosus ita immorigeratè vivat, ut cæteris sit scandalo?
 9. An Superior Loci provideat Fratribus necessaria?
 10. An defectuosos moneat, corripiat, & juxta indigenitiam castiget indifferenter & sine passione?
 11. An Apostolicæ Constitutiones, Decreta Sacræ Congregationis, & Statuta Provinciæ suis temporibus legantur?
 12. An Superior Localis ad normam Constitutionum rediderit ratiorem Eleemosynarum, sive ex Mistarum celebrazione, sive ex Fidelium charitate?
 13. An infirmis Fratribus charitatib[us] necessaria subministrantur?
 14. Vocatus itaq; primò Fr. N. Laicus Professus, ætatis annorum N. Religionis N. prout ipse dixit. *Hæc clausula semper addi debet circa inscriptionem Annorum ætatis & Religionis.* Qui interrogatus super supra appositis punctis, respondit prout sequitur.
- Ad imum, *Hic adnotetur, ejus responsio fideliter de verbo ad verbum,*

Ad

Ad 2dum Similiter adnotetur que respondeat, & sic per consequens usq; ad duodecimum, semper à Capite incipiendo. Porro habita response ad duodecimum tandem addatur, ac tandem depositioni suæ se subscribit.

6. Quod si Visitatus nesciat scribere, Minister Provincialis adnotet hoc modo. Et cum scribere nesciat, suæ depositioni signum Crucis apposuit. †.

7. Secundo vocatus fuit Fr. N. &c. ut supra, usq; ad subscriptionem, & sic per consequens, donec omnes fuerint visitati, ac demum addatur.

8. Sic igitur visitatis omnibus Fratribus & Patribus, eos iterum Capitulariter congregatos denuo de Votorum observantia, & Regularis disciplinæ custodia monuimus [si inventianur aliqui defectuosi, addatur] nonnullos defectuosos Paternè pænitentiavimus [si autem non, statim ponatur post illa verba custodia, monuimus] & ad majorem Religiosum profectum ac Regulæ Observantiam, nonnulla ordinavimus in scripto videlicet, hic scribantur per extensum. Ordinationes reliæ post Canonicam Visitationem, seu Decretum Reformationis, & data omnibus Absolutione & benedictione, Visitationem complevimus, die N. Mensis N. Anni N. Quam Sigillo Minoris Provinciæ communiri fecimus.

*Ita est. Ego Fr. NN. Minister Provincialis.
mpr.*

9. Consulto pono duplex NN. circa subscriptionem, ad denotandum, quod Provincialis in similibus debeat apponere Nomen & Cognomen, nam in omnibus Officiis Actibus & Jurisdictionibus & Nomen & Cognomen apponi debet. Advertendum est imo. allatam immediate formam Pater-

Pars IX.

T

næ

næ Canonice Visitationis, non esse tantopere usitatam in omnibus Religionibus, imò neq; necessario requiri, ut omnes Paternæ Canonice Visitationis ad illius normam & præscriptum fiant. Quia tamen quivis Provincialis si vellet, eā uti posset, prout aliā dictum est suo loco, hinc illam apposui.

10. Advertendum est 2dō. Quod si Commissarius Visitator Generalis illâ uti vellet, tunc fermè eodem modo procedendum illi foret. Nisi quod initium illius mutandum foret hoc modō.

11. Hæc est Visitatio Generalis Canonica ac Paterna, quam facere intendit P. NN. Commissarius Delegatus à Reverendissimo Patre NN. Generali N. ad visitandam Provinciam N. in Conventu N. &c. ut supra.

12. Advertendum est, 3to. Quod sicuti Visitationes Provinciales fiunt ad Exsyndicandum Superiorem Loci, ita Visitatorum Generalium ad Exsyndicandum Provinciale, hinc in Interrogatoriis addi debent Interrogatoria de exāctitudine Provincialis. Imò cum eidem Visitatori competit, & de suo Antecessore inquirere. Hinc etiam de illo possunt Interrogatoria apponi, exempl. grat. sic.

13. An Provincialis Minister cum suis Sociis in suo Triennio exemplariter vixerit?

14. An Reos castigaverit indifferenter?

15. An ad Officia Dignos promoverit, seclusis minus i-doneis?

16. An Infirmorum curam sedulò adhibuerit?

17. An Visitator immediatus ante nos, Officium suum rectè administraverit?

18. An munera acceperit?

19. An Partes soverit, an verò pacem promovere studuerit?

20. An in tota Provincia vigeant abusus, & Regulæ transgressiones?

14. Cætera autem omnia sumenda sunt ex norma procedendi in similibus, proposita supra.

C A P U T XXV.

Praxis Inquisitionis Generalis quidem sed Juridicæ, quæ dicitur Judicialis, facienda à Prælato Provinciali.

S U M M A R I U M

1. Initium Inquisitionis Generalis Juridicæ.
2. Continuatio ejusdem.
3. Ulterior progressus.
4. Puncta Interrogatoria.
5. Ubi Visitatus refert de facto non nominando Personam, qualiter procedendum?
6. Antequam Examen terminetur, quid observandum?
7. Quomodo Examen maneat terminandum?
8. Ubi Visitatus velit aliquid addere vel minuere, quomodo procedendum?
9. Demùm Examen terminandum erit, modò quô supra.
10. Hinc patet distinctio Visitationis Judicialis à Paterna.
11. Hoc modô visitandi sunt omnes.
12. Si nihil grave emerserit, quomodo concludendum?

In Nomine Domini, Amen.

1. Cum non sine magna animi commotione, pervenisset ad aures A.R.P.N. Ministri Provincialis Provincie N.

confusus rumor, multas & graves transgressiones & scanda-
la vigere in Conventu N. quæ rigorosam exigunt correctio-
nem, volens pro Officii sui munere mala germina erumpen-
tia suffocare, imò & radicitùs evellere, ne agrum Domini
pestilenti semento inficiant, decrevit generalem eamq; Juri-
dicam Inquisitionem, tum in Caput, tum in Membra ejusdem
Conventū instituere. Quapropter in Conventu N. ubi pro-
tunc commorabatur, in Camera suæ Residentiæ præsentibus
infra scriptis vocari me fecit, & dato mihi Juramento de fi-
deliter exercendo munere eodem quod & in præsenti tacto pe-
ctore more Sacerdotali, me sibi in Notarium crevit, quatenus illi
in dicta Visitatione per eundem decreta, deservirem. Acta sunt
hæc in eodem Conventu ut supra, die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis.

mpr.

Ego N. fui Testis. *mpr.*

Ego N. fui Testis. *mpr.*

Ego N. Actuarius. *mpr.*

2. Anno igitur N. die N. Mensis N. accessit ad prædi-
ctum Conventum N. A.R.P. Provincialis. Ubi benignè ex-
ceptus, convocatis Capitulariter juxta morem solitum Fratri-
bus, ipsis Visitationem intimavit, admonitione præmissa, ne
tacendo impertinentia dicerent, dicenda non tacerent,
meritò quoq; Sanctæ Obedientiæ eosdem adstringens, ut
secluso omni labore, passione, vel prava animi affectione, me-
mores Justitiæ & charitatis, quidquid ad majorem DEI Glo-
riam, Regulæq; Sanctæ Observantiam, Almæ Religionis de-
corem, obicem ponere intelligerent, nullô modô celarent,
sed sincere aperire non omittant.

3. Tandem debitè peracta gratiarum actione, in Came-
tam

ram suæ Residentiæ, in qua Tribunal erexerat, recipiens se præ-
fatus A.R.P. Provincialis, coram eodem, & me infra scripto
Actuario, vocatus fuit Fr. NN. Laicus conversus professus,
ætatis prout dixit Annorum N. Religionis N. Officii N. cui
dato Juramento de veritate dicenda, prout juravit tactis Sa-
cris Librīs, propositæ sunt sequentes Interrogationes.

- 4. Interrogatus 1^{mo}. An illo Conventu in Divino cul-
tu pietas Christiana elucescat?

Respondit, hic adnotetur ejus responsum.

Interrogatus 2^{do}. An serventur Sacri Ritus & Cæmoniæ?
Respondit, adnotetur qualiter.

Interrogatus 3^{to}. An celebrentur Divina Officia die no-
tuq; cum debita compositione & reverentia?

Respondit, adnotetur qualiter.

Interrogatus 4^{to}. An servetur vita Communis, Regulæ &
Statutorum observantia?

Respondit, Adnotetur semper per integrum de verbo ad verbum
Responso.

Interrogatus 5^{to}. An non inveniatur aliquis transgressor
Votorum, & an non sit factum aliquod scandalum, sive in
Claustrō, sive extra Claustrum?

Respondit.

Et sic semper interroget super generalibus, cavendo ne de
aliquo sive delicto, sive Religioso in particulari inquirat.
Quod si Visitatus ex se deponat aliquod scandalum fuisse fa-
ctum à Cajo vel Titio, tunc Visitator ulterius pergit Inter-
rogando.

Quo loco id factum?

Quo tempore?

Qua occasione?

Quibus præsentibus?

Quo-

Quomodo Visitatus id sciat?

Si de tali scandalo est publica notitia vel infamia?

An Superior delinquentem pro tali delicto punierit, correxerit, aut monuerit?

5. Ubi verò Visitatus retulerit tantum fuisse factum scandalum non nominando Personam, tunc Visitator debet primo interrogare.

Quale nam fuerit illud scandalum?

A quo nam factum sit illud scandalum?

Et tandem ut supra de loco & tempore, ac qui fuerint, sive presentes, sive Complices interroget, semper habens in memoria in omnibus examinibus illud Aphorisni necessariò observandum. Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

6. Quibus habitis quo Examen terminetur, debet antecedenter totum Examen seu Dispositio hæc perlegi Visitato, quo præmisso interrogandus erit.

Interrogatus an velit aliquid suo Examini addere, vel minuere?

Respondit, non.

Interrogatus an odio vel passione aliqua deposuerit, ea quæ dixit?

Respondit, nullum odium, aut inimicitiam habeo cum Fr. Titio vel Cajo. *Et tunc demum compleatur Examen hoc modō.*

7. Et cum lecta sibi per me Actuarium sua depositione, nil vellet addere vel minuere, monitus de servando silentio salvo Jure, iterum illum vocandi si forte opus foret, propriâ manu se subscriptis, ac dimissus est. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. affirmo vel deposui mpr.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. mpr.

Ego Fr. N. Actuarius. mpr.

8. Ubi vero voluerit Visitatus aliquid addere, vel minuere, tunc totum id adnotetur, quod si addere sive minuere voluerit, & facta illi secunda perfectione illorum quæ mutavit, tunc demum Examen terminetur ut supra, nisi quod addi debeat secunda prælectio hoc modō.

9. Et tunc lecto sibi denuò per me Actuarium &c.

10. Ex his igitur quæ hucusq; dicta sunt, patet differentia inter Visitationem Paternam & Judicalem, nam Paterna non requirit Notarium seu Actuarium, Juridica verò omnino & essentialiter id exigit, quare consulto appositus est modus creandi Actuarium, qui modus in omnibus Juridicis Processibus servari debet.

11. Hoc itaq; modo prout diximus N. 4. Visitatis omnibus Fratribus ac Patribus, si patuerint graviora aliqua delicta, gravioribus pænis mulctanda, manet instituenda specialis Inquisitio contra delinquentem, sive delinquentes, de quo sequenti Capitulo procedetur. Si verò nonnisi leviora, & Paternè tantum corrigenda, tunc Visitatio hoc modō manebit concludenda.

12. Quia igitur completa hac Generali Visitatione, nihil inventum est, quod rigorosa animadversione dignum foret, sed nonnisi nonnulli leviores defectus, quos A.R.P. Provincialis Paternè nonnisi corrigere decrevit. Hinc A.R.P. Provincialis die N. Mensis N. Anno N. convocatis capitulo in Refectorio omnibus Patribus & Fratribus, ipsisq; in generali monitis, quatenus in observantia suæ Professio- nis persistere firmiter non omittant, quæ sibi ad majorem profectum Religiosæ Observantiae visa fuerant opportuna statuit, decrevit, & ordinavit sequentia. Hic adnotetur Decretum Reformationis. Postea vocavit ad culpam Fratrem N. & Patrem N. atq; Fratri N. objecit, quod in hoc delinquisset,

Scribatur ipsius delictum. Cui proinde pro salutari pænitentia injunxit. Hic pariter scribatur pænitentia assignata. Patri verò N. objecit, quod: item scribatur quid fuerit objectum. Cui proinde pro salutari pænitentia injunxit. Scribatur pena assignata. Qui omnes pænitentiam sibi injunctam humiliter & promptè acceptaverunt. Tandem data omnibus more solito benedictione, Visitationem terminavit.

Ego N. Minister Provincialis. mpr.
Ego N. Actuarus. mpr.

C A P U T XXVI.

Praxis incipiendi Processus per viam Inquisitionis specialis, emergentibus indiciis ex Visitatione seu Inquisitione Generali Judiciali, aut ex fama præcedente ac demum per viam Inquisitionis mixtæ.

1. Initium ipsius.
2. Si Provincialis velit uti novô Actuario, quomodo procedendum?
3. Quod si Actuarus maneat impeditus, alter erit creandus.
4. Forma hujus creationis.
5. Ex fama præcedenti, quomodo initiandus Processus?
6. Examen Testium, qualiter inchoandum?
7. Interrogatoria quomodo proponenda?

2.

8. Examen quomodo terminandum?
 9. Hoc modo omnia Examina terminanda.
 10. Testes ad minus duo vel tres in omni casu examinandi.
 11. Præmisso Examine Testium Sententia Interlocutoria
 12. Cætera videnda in suo loco.
- Per viam Inquisitionis mixtæ qualiter procedendum?
14. Initium Processus qualiter fabricandum?
 15. Tandem descendendum ad examen Testium.

In Nomine Domini, Amen.

1. Hæc est specialis Inquisitio quam facere intendit A.R.P. N. Minister Provincialis &c. contra Fratrem N. in Visitatione Generali Judiciali habita in Conventu N. graviorer indiciatum quod (*Hic exprimatur Crimen de quo manet indicatus*), prout patet ex notis præfatæ Visitationis. Quapropter ne delicta maneat impunita decrevit, super hoc informationes sumere, Testes examinare, aliaq; facere, quæ sunt de Jure præstanda. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
mpr.

Ego Fr. N. Actuarus mpr.

2. Ubi verò novo Actuario Provincialis uti vellet ad Inquisitionem specialem, tunc antecedenter ad actuationem hujus inchoationis scribendum erit. Et ideo in Cameram suæ Residentiæ, in qua ipse Tribunal erexerat vocari fecit me infrascriptum coram N. & N. Testibus ad hoc specialiter adhibitis, atq; dato mihi Juramento de fideliter execundo Officio, quod & præstiti tacto pectore more Sacerdotali, me in Notarium creavit, ut illi in hac Causa pro Actuario de-

servirem. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Minister Provincialis
mpr.

Ego Fr. N. fui Testis mpr.
Ego Fr. N. fui Testis mpr.
Ego Fr. N. Actuarius. mpr.

3. Advertendum est hoc loco, quod si Notarium contingat in tractu Causæ aliquo impedimento laborare, puta, vel infirmatum, vel alia ratione gravi distentum, non posse ad finem Processus continuare. Tum Judex tenetur alium sibi de novo creare, quæ creatio Actis debet inscribi, eo in loco, ubi primus cessavit, hōc modō.

4. Cum Pr. Fr. N. qui hucusq; in præsenti Causa inser-
vivit pro Actuario, graviter infirmatus (vel cum Concione foras longe pergit) & sic non possit ulterius pro Actuario inservire, suumq; cæptum munus continuare. Hinc A.R.P. Provincialis in Cameram suæ Residentiæ me infra scriptum præsentibus N. & N. Testibus ad hoc specialiter deputatis vocari fecit, datoq; mihi Juramento de fideliter exequendo Officio, quod & præstiti tacto pectore more Sacerdotali, me Notarium creavit, quatenus illi in prosecutione hujus Causæ pro Actuario deservirem. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ita est. Ego Fr. N. Minister Provincialis.
mpr.

Ego Fr. N. fui Testis mpr.
Ego Fr. N. fui Testis. mpr.
Ego Fr. N. Actuarius. mpr.

Ubi verò ex fama præcedenti formari Processum re-
currat, eodem modo incipiens erit.

In

In Nomine Domini, Amen.

5. Cum fama deferente pervenerit ad aures A. R. Patris NN. Ministri Provincialis, Fratrem sive Patrem N. esse apud multos graves & non malevolos Religiosos multopere diffamatum de [Hic describatur Crimen de quo fuerit infammatus, seu infamia] volens suo muneri satisfacere, & Crimina si quæ fuerint commissa (vel si unum tantum delictum fuerit] & Crimen si quod commissum fuerit debitiss pænis coercere ad Sacrorum Canonum & Constitutionum Ordinis normam decrevit, super fama prædicta inquirere, & prout de Jure procedere. Et ideò in Cameram suæ Residentiæ vocare fecit me infra scriptum coram N. & N. & prosequatur prout supra dictum est circa creationem Notarii N. 2dō istius Capitis. Qua habita creatione Notarii, ita prosequetur Processum.

6. Consequenter die N. Mensis N. Idem A.R.P. Pro-
vincialis vocari fecit coram se & me infra scripto in Came-
ram suæ Residentiæ, in qua Tribunal exercat, Patrem N. Con-
cionatorem ætatis Annorum N. Religionis N. prout ipse di-
xit, Testem ex Officio assumptum, cui dato Juramento de
veritate dicenda, prout juravit tacto pectore more Sacerdo-
tali, factaq; præmonitione, fuerant propositæ interrogations,
ut sequitur.

7. Interrogatus 1mō. An sciat Causam suæ vocationis?
Respondit nescio.

Interrogatus 2dō. In quo Conventu, & à quo tempore
maneat?

Respondit in hoc Conventu, ex Dispositione A.R. Pa-
tris à Capitulo maneo in Officio Prædicatoris.

Interrogatus 3tō. An Fratres in hoc Conventu exem-
plariter vivant, & an de aliquibus non sit mala fama?

Respondit: Dicitur de Fratre Titio quod &c.

U2

Interro-

Interrogatus 4^{to}. Quomodo id sciat?
Respondit de hoc publicè dicitur in Conventu.
Interrogatus 5^{to}. A quibus signanter hoc audivit Paternitas vestra?

Respondit à Patre Lectore N. item à Patre N. Confessario, nec non à Patre N. pariter Confessario, Fratre item N. Studente, & Fratre N. Laico, ac aliis plerisq; publicè de hoc discurrentibus.

Interrogatus. An sciat præfatos à se nominatos, esse inimicos vel adversarios Fratris Titii diffamati?

Respondit. Nescio, nec audivi illos esse contrarios sibi.

Interrogatus. An sciat quid sit fama publica?

Respondit. Credo esse id, quod communiter dicitur de aliquo in bonum sive malum.

Interrogatus. An Paternitas quæ adduxit, odio vel aliqua passione detulerit?

Respondit. Ego nolo gravare animam meam, deposui pro veritate, nec sum inimicus Fratris Titii, nec ille mihi quidquam nocuit, aut me in aliquo offendit.

8. Et cum lecto sibi per me Actuarium hoc suo Examine, illi nihil vellet addere vel minuere, servato Jure vocandi eum denuò, si opus fuerit, propria manu se subscriptis, & dimissus est, prævia monitione de servando secreto suæ depositionis. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. deposui ut supra.
mpr.

Ita est. Ego Fr. N. Minister Provincialis
mpr.

Ego Fr. N. Actuarius mpr.

9. Sic semper terminari debent Examina Testium, sive ex Officio assumptorum, sive demum ab Actore, vel Denuntiatore addu-
ctorum

etorum, quod si aliquid vellet addere, vel minuere, vel mutare, ser-
vetur modus & Praxis recensita Cap. 25. n. 8.

10. Hoc igitur modo examinandi erunt tres vel quatuor Testes, quo fama plenè probata maneat, quibus præmissis, ubi Testes concordabunt de facto revera admissio à Fratre Titio, tunc Judex post Examen horum Testium de fama ponere debet Decretum Interlocutorum quo declareret con-
stare de fama hōc modō.

11. Quibūs habitis si inquantum acceptatis idem A.R.P. Provincialis pronuntiavit constare de fama, decrevitq; contra prædictum Fratrem Titium diffamatum prout de Jure pro-
cedere. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Provincialis mpr.

Ego N. Actuarius mpr.

12. Catena quæ hoc loco concurrunt, videantur Cap. 13. ubi
de fama & Indiciis differimus.

13. Ubi verò per viam Inquisitionis mixtæ procedendum erit
Judici, hoc modo incipiendus Processus manebit.

In Nomine Domini, Amen.

14. Cum ad aures A.R.P. NN. Ministri Provincialis &c. pervenisset, quod in Conventu N. (hic scribatur delictum, pu-
ta, quod sit affixus Libellus famosus, vel commissum furtum, & si
quid est aliud) nec tanti Criminis Auctor hucusq; sciatur,
volens pro sui muneric debito super hoc inquirere, & son-
tes, quos repperit debitīs pænis castigare, me infrascri-
ptum vocari fecit in Cameram suæ Residentiæ coram Te-
sibus infra scriptis, ad hoc specialiter vocatis & deputatis
&c. prout supra Cap. 26. n. 2. de creatione Notarii.

15. Quo factō descendat ad Examen eō modō, quo
supra, sed de his fusius sequentibus Capitulis.

CA-

C A P U T XXVII.

Praxes incipiendorum Processuum per viam Accusationis, Denuntiationis, & Exceptionis, ac tamen viâ Notorii.

S U M M A R I U M.

1. Processus per viam Accusationis, Denuntiationis & Exceptionis prærequisit, Accusationem, Denuntiationem & Exceptionem.
 2. Forma Libelli Accusatorii.
 3. Forma Denuntiationis Evangelicæ.
 4. Forma Denuntiationis Judicialis.
 5. Forma Libelli Exceptorii contra Eligendum
 6. Alia forma Libelli Exceptorii criminaliter contra Eligendum.
 7. Forma excipiendo contra Electum, ne confirmetur.
 8. Accusatio ab Exceptione parum differt.
- Ibidem.* Hinc Processus uterq; parî modô formandus.
9. Initium Processus per viam Accusationis.
 10. Modus audiendi officiosè Accusantem.
 11. Praxis initiandi Processus per viam Denuntiationis.
 12. Modus audiendi officiosè Denuntiatorem.
 13. Interrogatoria Denuntianti proponenda.
 14. Quomodo Examen maneat concludendum?
 15. Ex his patet differentia inter Denuntiantem & Accusantem.

De Praxib. incipien. Processuum via Notorii &c. 159

16. Si Denuntiatio facta sit per Literas, aliter est procedendum.

17. Videlicet hōc modō.

18. Praxis initiandi Processus per viam Notorii.

1. **Q**uia omnes hi modi procedendi, necessariò supponunt & prærequirunt Actorem, videlicet, Accusatorem, vel Denuntiatorem, aut demum Excipientem, prout de his satis abundè suis in locis dictum est. Hinc primo porrígendæ erunt Praxes Libellorum Accusationis & Exceptionis, ac tunc demum adducentur Praxes inchoandorum Processuum pro quo sit.

Forma Libelli Accusatorii.

2. **C**oram A.R. Patre N. Ministro Provinciali comparet Fr. N, Sacerdos vel Laicus vel Clericus, atq; non ex aliquo odio, aut animo calumniandi, ast solo zelo boni publici ductus, quo delicta in uno punita, alias à delinquendo deterreat. Accusat Fratrem N. qualiter ipse (*bis describatur delictum, apposto tempore & loco, & omnibus circumstantiis delicti*) atq; hoc intendit probare in Judicio in Legitima forma offerendo se ad pñnam talionis, si non probaverit, instat proinde præsentem accusationem admitti, & super veritate propositorum ad Inquisitionem procedi, ac demum ad debitam delinquentis punitionem. Datt. die N. Mensis N. Anno N.

*Egr Fr. N. accuso ut supra,
mpr.*

Forma Denuntiationis Evangelicæ per Libellum Judici præsentandum, qui potest etiam mitti per Literas.

3. **C**oram A.R. Paternitate comparet Fr N. Sacerdos (vel Laicus

Laicus &c. & dicit, quod Fr. N. Laicus Questuarius Conventus N. parum Religiosè vivat, scandalizando auctibus in honestis Sæculares, eorumq; devotionem erga Religiosos minuendo. Et licet hac de re aliquoties fuerit monitus à bonis Religiosis, nihilominus vitam suam in nullo correxit. Quapropter zelo boni publici ductus, & ut severitas Judicij corrigit, quod charitas emendare nequivit, denuntiat prædictum Fratrem (*hic ponatur delictum, de quo denuntiatur*) & assignat in Testes Fratrem N. & Fratrem N. Datt. die N. Mensis N. Anno N. in Conventu N.

*Ego Fr. N. denuntio. ut supra.
mpr.*

Altera Forma Denuntiationis Judicialis, sive Civilis.

4. **C**oram A. R. Patre N. Ministro Provinciali, comparet Fr. N. & dicit gravem injuriam sibi fuisse illatam à Fratre N. qui Libellum famosum contra se scripsit & vulgaverit, sive contumeliosa verba coram Fratribus contra eum protulit, sive rem aliquam suo usui à Superioribus concessam accepit, restituereq; recusat. Quapropter illum judicialiter denuntiat, eō solo fine, ut prædictus Frater cogatur sive famam, sive Librum restituere, & ideò protestatur idem Denuntians, quod pro amore DEI injuriam acceptam condonet, nec vult, aut intendit, quod prædictus Frater, qui injuriavit, quacunq; pñâ sive publicâ sive privatâ afficiatur, sed solùm ad damni sibi illati restitutionem compellatur. Testes verò pro hoc statuit Patres Fratres NN. Datt. in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

*Ego Fr. N. denuntio ut supra.
mpr.*

Forma

Forma Libelli Exceptorii contra Eligendum.

5. **C**oram A. R. Patre N. Ministro Provinciali &c. sive Commissario Visitatore Generali: Comparet Fr. N. Sacerdos Professus Officiô Concionator, vel Lector &c. & dicit, quod magnum damnum eveniret Provinciæ, si eligeretur ad Ministerium Pater N. de quo multum dubitatur quod possit eligi. Ideoq; ad avertendum omne damnum, quod ex tali electione possit evenire Religioni, cujus utilitati quilibet de corpore illius existens providere tenet, proponit contra ipsum Articulos Exceptionis & in his scriptis jurat, se non animo calumniandi, aut malo dolo, sive aliqua passione prava, vel animositate contra memoratum Patrem moveri, sed puro zelo boni Communis. Proinde non intendit, neq; vult ut prædictus Pater propter Contenta de infra scriptis Articulis pñâ aliqua confusibili puniatur, sed nonnisi quatenus ad tallem Prælaturam non eligatur. Protestando, quod si super Exceptione quam legitime proponit, non fiat debita Inquisitio ad normam Juris, ac ea contempta ad electionem deveniatur, & prædictus Pr. N. fuerit electus, electio ipsa erit cassa & nullius valoris, & provocat ab ea ad Superiores ad quos de Jure. Articuli autem hujusmodi sunt sequentes exempl. grat. 1^{mo}. Quod Pr. N. est ignorans & nescit Regulam & Constitutones Apostolicas & Regulares necessarias ad Regimen.

Hic ponantur impedimenta, quæ supra recensuimus Cap. 6. & 3^{to}, 1^{mo} & 4^{to}, si adsint, tandem terminetur Libellus hoc modo.

Et Testes necessarios ad probationem producit, super 1^{mo}. Patres N. & N. super 2^{do}. Patres N. & N. vel eosdem. Datt. in Conventu N. die N. Mensis N. Annô N.

*Ego N. Excipio, protestor, inslo, apollo, ut supra.
mpr.*

Pars II.

W

Alia

Alia Forma Libelli Exceptorii criminaliter propositi contra Eligendum.

6. **C**oram A.R.P. Ministro Provinciali vel *Commissario Visitatore Generali*, comparet Fr. N. Concionator: *vel si quod aliud habuerit Officium, illud scribatur*. Et dicit: quod cum probabiliter ut communiter existimatur, possit in futuro Capitulo eligi in Provincialem sive Definitorem &c. Pr. N. Unde magnum Religioni damnum eveniret, tum quia multi ipso digniores & magis proficiui Provinciae abjicerentur. Tum etiam quia, qui aliunde dignus est punitione ob sua malefacta impunitus remaneret cum scandalo pusillorum. Proinde ipse comparens, non malo dolo, neq; ex inimicitia, sed puro zelo boni publici motus (*sut-jurat in his scriptis*) excipere contra memoratum Patrem N. intendit, ne ad Prælaturam aliquam assumatur. Et ideo infra scriptos Articulos à se probandos per legitima documenta, sub pena talionis proponit, volens quod de delictis infra scriptis, de quibus exceptendo eum accusat, ad aliorum exemplum juxta normam Legum nostrarum castigetur. Protestando de nullitate Electionis, si forte ad eam deveniretur, & in predictum cadat, non curata praesenti Exceptione, & ab ea ex nunc pro tunc provocat, apellat, petit recursum ad Superiores ad quos de Jure. Articuli autem sunt.

1mo. Quod praedictus Pr. non servat vitam communem.
2do. Quod &c. hic ponuntur, quæ militant contra Eligendum exceptum: *Et deinde compleatur eō modō, quō supra*. Testes producit super 1mo. Patres N: & N. super 2dō. Patres N. & N. *vel sic* Testes autem horum paratus est suo loco & tempore producere.

*Ego Fr. N. Excipio, protestor, insto,
apello, & ut supra. mpr.*

Ter.

Tertia Forma Excipiendi contra Electum, ne confirmetur.

7. **C**oram A.R.P. N. Commissario Visitatore Generali; comparet Frater N. Confessarius, *vel quidquid est, & dicit Electionem Pr. N. factam in Provincialem, sive Definitionem hujus Provinciae, esse cassandam & annullandam, eo quia nonnulla inveniuntur in eo, ob quæ à Sacris Canonibus & Regularibus Statutis, ille est ineligibilis ad Prælaturam.* Quapropter non malo dolo, neq; ex ulla animositate contra eum, sed ex puro zelo boni publici, & ut Leges serventur, excipit contra eum de infra scriptis Articulis, quos probare intendit in legitima forma, non ut propter ea, quæ in illis continentur, aliqua confusibili pænâ puniatur, sed tantum ne confirmetur in Prælatura, ad quam electus est. Instat proinde, praesentem Exceptionem quam in his scriptis jurat non esse calumniosam, admitti, & probationes adhibendas acceptari, & interea circa Confirmationem nihil innovetur. Aliter protestatur de nullitate Confirmationis, & provocat ad quos de Jure, petitq; recursum ad Superiorem. Porro Articuli sunt infra scripti.

1mo. Quod Pater N. &c.

2dō. Quod Pater N. &c.

3tiō. Quod Pater N. &c.

Et Testes sufficienes paratus est adducere suo loco & tempore. Datt. die N. Mensis N. Anno N. in Conventu N.

*Ego Fr. N. Excipio, insto, protestor
& apollo, ut supra mpr.*

8. **H**is præmissis advertendum est, Accusationem ab Exceptione parum differre, Processusq; initium & formam convenire in utroq; casu, & ideo hic non nisi adducatur

W₂

tur Praxis Processus formandi per viam Accusationis, & ex hoc habebitur Praxis Processus per viam Exceptionis, hoc solo præcustodito, quod ubicunq; in Processu Accusatorio ponitur terminus Accusationis, in Processu Exceptivo debet poni terminus Exceptionis, hac igitur informatione præmissa, sit Praxis incipiendi Processus per viam Accusationis.

In Nomine Domini, Amen.

9. CUm comparuisset coram A.R.P. N. Ministro Provinciali vel Commissario Visitatore Generali &c. Pater N. & illi porrexisset Libellum Accusationis contra Patrem N. & petiisset sibi fieri justitiam. Volens prædictus A.R.P. Provincialis procedere prout de Jure, vocatô me infra scripto in Cameram suæ Residentiæ præsentibûs infra scriptis Testibûs ad hoc specialiter adhibitis dato mihi Juramento de fideliter exequendo Officio, quod & præstiti tacto pectore more Sacerdotali, me sibi in Notarium creavit, quatenus illi in hac Causa pro Actuario deservirem. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis,
mpr.

Ego N. sui Testis. mpr.
Ego N. sui Testis. mpr.
Ego N. Actuarius. mpr.

10. Consequenter coram eodem A.R. Patre Provinciali & me præsente comparuit vocatus supra dictus Pater N. & porrexit Libellum Accusationis instando, ut acceptetur, & ut de Jure procederetur, quem ad Mandatum A.R. Patris Provincialis recepi & legi, & in Actis inserui signatum
Lite-

Litera A. vel numero 1mo qui incipit coram A.R. Patre N. comparet & desinit. Ego N. accuso ut supra. Et prædictus A.R.P. dixit se illum acceptare, si & inquantum, & se processum prout de Jure. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Accuso, ut supra mpr.
Ego N. Minister Provincialis. mpr.
Ego N. Actuarius. mpr.

Praxis initiandi Processus per viam Denuntiationis.

11. CUm præsentatus fuisset personaliter, *sive per Literas missus* A.R. Patri Ministro Provinciali quidam Libelius Denuntiatorius à Patre N. Sacerdote, qui incipit coram A.R.P.N. & desinit ego N. denuntio ut supra, & hic in Actis inseritur signatus numero 1mo, apponatur signum tamen in Actis quam in Libello. Volens A.R.P. Provincialis sui munieris partes implere, vocato me infra scripto &c. & ut supra aliquoties de Creatione Notarii, quo facto sic prosequendus manet Processus.

12. Consequenter idem A.R.P. Provincialis acceptata dicta Denuntiatione si & in quantum, voluit ab eodem Denuntianti plenius informari de omnibus circumstantiis facti, de quo denuntiavit supra memoratum Fr. N. meq; præsente vocari ad se fecit Pr. N. Denuntiantem, cui datô Juramentô de veritate dicenda, & quod non animo calumniandi denuntiaverit, prout juravit tacto pectore more Sacerdotali. Eadem sequentes proposuit Interrogationes.

13. Interrogatus 1^{mo}. Unde sciat ea quæ denuntiavit? Respondit, à Patre N. & Fratre N.
Interrogatus 2^{do}. Quo tempore, loco, & quibus præsentibus?
Re-

Respondit, exempl. grat. die 7. Maji dum essem in Conventu, ubi etiam inveniebantur Pr. N. & Pr. N. ac Fr. N.

Interrogatus 3^{to}. An ea viderit, an verò tantum ab aliis audierit?

Respondit, Audivi tantum à supra nominatis, quod si ipse viderit, tunc ad primam Interrogationem respondendum erit, hæc ego oculis meis vidi.

Interrogatus 4^{to}. Quomodo acciderit hoc factum?
Respondit.

Interrogatus 5^{to}. An Fr. quem denuntiavit sit bonæ famæ?
Respondit.

Interrogatus 6^{to}. An aliás de hoc fuerit correctus & à quo?
Respondit.

Interrogatus 7^{to}. Quo loco & tempore?
Respondit.

Interrogatus 8^{to}. An Paternitas monuerit de hoc Superiorum Localem?

Respondit.

Interrogatus 9^{to}. Quare nam Paternitas non monuerit?
Respondit.

Interrogatus 10. Cur tantopere distulerit Denuntiationem?
Respondit.

Interrogatus 11. An amore vel odio deposuerit?
Respondit.

14. **Q**uibus per me infra scriptum receptis sibiq; lectis, cum nihil vellet addere vel minuere, monitus de servando silentio, propria manu se subscriptis, & dimissus est. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N,

Ego Fr. N. affirmo ut supra. mpr.
Ego N. Minister Provincialis mpr.
Ego N. Actuarius mpr.

15. **E**X his itaq; patent ea, quæ supra dicta sunt circa dif-ferentiam Accusatoris à Denuntiatore, quod nimirūm Denuntiator, præsertim in denuntiatione Evangelica, potest etiam assumi in Testem ex Officio, & vocari ad examen, mi-nimè verò Accusator, neque ad capiendam aliquam Infor-mationem, quia in Libello accusatorio, debent exprimi omnes circumstantiæ facti, non sic verò in Libello Denuntia-torio.

16. **A**Dvertendum est, quod si Denuntiatio sit per Literas transmissa & Provinciali sive ejus Delegato placuerit examinare Denuntiatum, tunc Denuntians debebit aliter examinari nimirūm hōc modō.

17. **P**RIMO. An sciat causam suæ vocationis? An scrip-se-rit Literas Superiori & quas? An ipse scripserit, an aliquis aliis? An illum quispiam instigaverit ad illas scri-bendas & quis? An verò motu proprio id fecerit? An re-cordetur materiæ in illis contentæ? quid illum movit ad id scribendum? Deinde extensis illis Literis Denuntiationis interrogandus est: an eas recognoscat à se scriptas? Si to-tum in illis expositum sit verum? An ille contra quem scripsit non sit suus inimicus? An eum de tali Crimine mo-nuerit?

Praxis initiandi Processus per viam Notorii.

18. **C**UM ad aures A. R. P. Ministri Provincialis pervenerit Fratrem N. in Conventu N. Apostasiam commisisse, vel in præsentia totius Communitatis sive majoris Partis Communitatis dolosè, temerè, & scienter alapam impeglisse Fratri N. ita ut Frater N. negare non possit se hoc delictum commisisse, nec est locus justificationi, cum delictum sit ma-nifestum, ideo A. R. Pater Provincialis pro suo munere per-modum Notorii procedere decrevit. Itaq; vocatō me infra scriptō

scriptō in Cameram suæ Residentiæ præsentibus &c. ut supra N.

C A P U T XXVIII.

Praxis faciendæ Delegationis in casu, quo Judex Ordinarius per se non valet cognoscere de aliquo vel aliquibus delictis & inchoandi Processum à Delegatis.

S U M M A R I U M.

1. Judex Ordinarius potest delegare sive in Causa particulari sive in generalibus.

2. Praxis delegandæ Visitationis Generalis.

3. Praxis delegandæ Causæ Particularis.

4. Judex Ordinarius potest Delegato committere etiam Sententiam decisivam,

4^o Praxis initiandi Processus à Delegatis.

6. Deinde descendat ad probandum corpus delicti.

1. **Q**uia Judex Ordinarius nedum potest delegare in locum suum; juxta suum placitum ad cognoscendum in Causa aliqua particulari, verū etiam committere potest & Visitationem generalem tam Paternam quam Judiciale. Hinc utroque satisfacere satagendo 1^{mo}. Ponemus Praxim delegandi Inquisitionem generalem. 2^{do} verò Praxim Delegandi Causam aliquam particularem. Sit itaq; 1^{mo}.

2. **P**raxis delegandi aliquem ad Visitationem generalem Judiciale, Fr N. Ordinis N. Provinciæ N. Minister Provincialis & Servus.

Dile-

Dilecto nobis plurimum in Christo R. P. Definitori vel Lectori. vel quod habet Officium Salutem & Benedictionem.

Non sine magna animi nostri molestia, ex diversis revelationibus eisq; fide dignis accepimus, multas in Conventu Nostro N. & quidem graves vigere transgressiones, quæ non mansuetudine Paterna, ast virga severioris Judicii exigunt emendari. Ubi igitur Nos diversis Officii nostri curis distenti, nequeamus hoc muneris nostri Officium per se adimplere, necessarium esse duximus ad tale munus Virum aliquem gravem, providum, expertum, in locum nostrum assignare, quō quæ muneris nostri sunt dextere agente, fontes si qui inventi fuerint, valeant debitissimis pœnis coerceri. Te igitur de cuius Prudentia, zelo, & rerum criminalium peritia, Nobis abundè constat, Vigore præsentium Literarum nostrarum Patentium, in Commissarium nostrum delegatum eligere, decrevimus, prout defacto eligimus, & electum declaramus, instituimus, decernimus. Committentes Tibi quatenus assumpcio Secretario, quem in Notarium creare valeas, & Socio tibi bene viso, ad præmemoratum Conventum accedas, ibiq; Visitationem generalem Judiciale, tam in Capite, quam in Membris, instituas, curando omnia, quæ hoc negotium concernunt, ut fiant ad præscriptum Sacrorum Canonum & Statutorum Regularium dispositionem. Quapropter vices Nostras omnemq; potestatem huic operi necessariam Tibi peramanter impertimus, atque in Te transfundimus. Præcipientes in virtute Spiritus Sancti, & sub Sanctæ Obedientiæ merito, atq; sub pœnis contra rebelles latis, omnibus & singulis, tam in Capite, quam in Membris, quatenus Te tanquam legitimum nostrum Commissarium, vicesq; Nostras in omnibus & per omnia agentem agnoscant, recipiant, Tibiq; per omnia obedient. Insuper volumus &

decer-

X

decernimus, quod si ex hujusmodi Visitatione generali contra aliquem vel aliquos emerserint sufficientia indicia ad instituendam specialem Inquisitionem, quatenus eandem instituas, & Processum juxta præscriptum Juris, & Canonum, formes, usq; ad Sententiam definitivam exclusivè *vel sive placuerit Superiori* usq; ad Sententiam definitivam inclusivè. Confidimus pro tua virtute Te in hoc gravi negotio viriliter & strenue curaturum ea omnia, quæ ad repressionem scandalorum & Religiosæ Observantiae conservationem faciunt, Pro quo Tibi & Paternam Benedictionem peramanter impartimur, Datt. in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

De Mandato A.R. Patris [L. S.] Ego N. Provincialis
Fr. NN. Secretarius. *mppr.*

mppr.

Praxis delegandi aliquem ad inquirendum de aliqua Causa Particulari.

QUO nedum audiamur dici, verùm etiam esse digni inve[n]tiamur Pastoris quo fungimur munere, dignum semper cogitavimus, nedum Oves nobis concreditas affectuosis sibillis, Paternarum admonitionum, ad pascua salutis dirigere, verùm etiam ultrò aberrantes, & per culparum prærupta in præceps tendentes, adhibita rigoris virga, ad Caulas Domini reducere, imò & compellere. Ne forte unius insolentiæ parcendo demus ansam cæteris calcandi prava itinera. Cum igitur ad aures nostras, notitiamq; devenerit, ex fama publica ad Nos delata, *vel per denuntiationem Nobis inscripto, vel per litteras ad Nos directas factam, vel per accusationem coram Nobis productam, quarum Literarum Originalia Tibi transmittimus.*

Quod

Quod Fr. N. in Conventu Nostrø N. commorans, diabolo omnium malorum fatore instigante, commiserit delictum (*hic scribatur delictum super quo est investigandum*) Ubi Nos gravissimis Officiis muneri Nostrri impediti, hac de re debitam Judicialem indaginem instituere non valemus, cogimur hoc munus alteri demandare. Tibi ergo de cuius prudenter, peritia, & zelo, ac rerum Criminalium notitia, Nobis abunde superq; constat, harum serie committimus, ut assumpto Secretario quem in Actuarium creare valeas, & Socio Tibi bene viso, ad præfatum Conventum Te transferas, atq; Judicialem super præfato delicto, & delinquente, Processum instituas, vices Nostras omnemq; facultatem ac potestatem Nostram huic operi necessariam, Tibi peramanter impertientes atq; in Te transfundentes. Præcipientes insuper in virtute Spiritus S. ac sub Sanctæ Obedientiæ merito, nec non sub pænis contra rebelles latis, omnibus & singulis tām in Capite, quām in Membris, quatenus Te tamquam legitimū nostrū Commissarium, vicefq; nostras, in omnibus & per omnia agentem agnoscant, recipiant, Tibiq; per omnia obedient. Idq; ad Sententiam usque decisivam inclusivè. *Quod si Provinciali placuerit reservare sibi Sententiam decisivam scribatur.* Omnia autem Acta Judicialia ita volumus per Te fieri, ut tamen Sententiam definitivam Nobis reservemus. Dabantur in Conventu nostro N. die N. Mensis N. Anno N.

De Mandato A.R. Patris [L. S.] Ego N. Minister Provinialis. *mppr.*

Fr. N. Secretarius. *mpr.*

5. *A*Dvertendum circa hoc, quemadmodum diximus su[pra] fusius, ubi de Delegatis, quòd sit in potestate Judicis Ordinarii puta Provincialis, vel Visitatoris Genera-

X2

lis

lis, Delegato dare potestatem, unà cum Sententia decisiva, vel etiam illam sibi reservare, quapropter Delegationes erunt mutandæ ad arbitrium Provincialis sive alterius Judicis Ordinarii, prout innuimus in Praxibus.

Praxis initiandi Procesus à Judice Delegato formandi.

In Nomine Domini, Amen.

5. C^Um A.R.P. N. accepisset Literas ad se datas ab A.R. P. Ministro Provinciali N. de tenore sequenti: *Hic inserantur per totum Literæ Delegationis, quibūs recensits, postea continuatur hōc modō. Volens eā quā debet promptitudine exequi jussa sibi demandata. In Cameram suæ Residentiæ præsentibus PP, N. & N. Testibus ad hoc specialiter exhibitis vocari me fecit infrascriptum, & mihi dato Juramento fidelitatis quod & præstiti tacto pectore more Sacerdotali, juxta sibi commissam facultatem, me Notarium creavit, ut sibi in demandatis pro legitimo Actuario inservirem. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.*

Ego Fr. N. Commissarius Delegatus,
mpr.


Ego Fr. N. fui Testis mpr.

Ego Fr. N. fui Testis. mpr.

Ego Fr. N. Actuarius. mpr.

6. H^Iis præmissis descendere debet Judex Delegatus ad probandum corpus delicti, si sit de speciali delicto; vel ad visitandos Fratres, si sit deputatus ad generalem Inquisitionem Juridicam pari modo quemadmodum diximus de Ministro Provinciali Judice Ordinario.

CA-



C A P U T XXIX.

Praxes circa Recusationem Judicis, sive Ordinarii, sive Delegati in Visitatione Judiciali.

S U M M A R I U M.

1. Forma Recusationis intimandæ Judici Regulari per ipsum Recusantem.
2. Si Recusans non audeat accedere Judicem, quomodo procedere debeat?
3. Quid agendum Judici stante Recusatione?
4. Quomodo Decretum hac de re formandum?
5. Ubi verò Recusatio proposita sit coram Viris honestis, aliter procedendum manet.
6. Tunc enim Recusans hōc modō examinandus erit.
7. Quò præmissò Decretum ferendum erit à Ministro indifferenter hōc modō.
8. Tandem Decretum finale rejectionis, si sit frivola Recusatio.
9. Quod si Causa Recusationis sit evidens in Jure, non tamen in facto, aliter procedendum.
10. Videlicet hōc modō.
11. Praxis Decreti statuentis Arbitros.
12. Arbitri debent inter se componere.
13. Demum quomodo illis procedendum?

Forma

Forma Recusationis per se intimanda Judici Regulari,

1. **C**oram A.R. Patre N. Ministro Provinciali vel R.P. N. *Commissario Delegato ad Judiciale Visitationem* hujus Conventus. Comparet Fr. N, & dicit (cum omni tamen humilitate & reverentia debita) quod Persona ejusdem A.R. Patris N. est sibi suspecta & suspectissima & tanquam talem eum jurat. Et quia nulli tutum est coram suspecto Judice litigare, ad propriæ Innocentiae præsidium, vel evadendum omne quodcunq; gravamen, quod ab illo recipere possit, cogitur licito Juris remedio uti, ipsum recusando in Judicem, quapropter coram infrascriptis Testibus, ipsum rogat, ne in Visitatione Judiciali hujus Conventus N. quam facere intendit, ullò modō se immisceat in tangentibus Personam ipsius comparentis, ex eo, quòd illum semel & iterùm & semper recusat, & ipsius Judicio nullo modo submitti vult, aut intendit, quia est sibi vehementissimè suspectus, & suspectissimus, ex eo, quòd est ejus inimicus, *vel si quod aliud occurrit, hic inservendum erit, de quibus supra fusè dictum est Cap. 7.* Quam Causam compares offert se coram quibus de jure probare. Quod si non attenta præsenti Recusatione memoratus Pr. Provincialis, sive *Commissarius* se immiscere intendit, in tangentibus Personam dicti comparentis, & nunc protunc, dicit de nullitate actuum, appellat ad Quem, & Quos de Jure, & ad Superiorum petit recursum, præsentata fuit coram infrascriptis Testibus in Conventu N. die N. Mensis N.

Ego N. recuso, apello, & recursum
peto ut supra. mpr.
Ego Fr. N. fui Testis mpr.
Ego Fr. N. fui Testis mpr.
Si

Si verò Recusans non audeat accedere Judicem, tunc Recusatio erit facienda coram honestis Viris Religionis hōc modō.

2. **C**um ad amovendum quodcunq; gravamen quod mihi infrascripto occurrere posset ex Visitatione Judiciali, quam publicè intimavit A.R.P. Provincialis, sive *Commissarius Delegatus* N. necessarium mihi sit, ipsum recusare in Judicem tanquam mihi suspectissimum. Et ex timore reverentiali nequeo ego, neque alii Testes mecum audent, illum præsentialiter convenire, & coram illo tum Recusationem, tum Causas ejusdem Recusationis exponere, prout de Jure debedo. Cogor RR. PP. NN. coram Vobis tanquam coram honestis Viris præfatam Recusationem & Apellationem proponere. Instanter ego, & instantissimè oro, ac per JESU Christi Viscera obsecro Vos memoratos RR. PP. quatenus dignemini recipere Libellum Recusationis & Apellationis quem & oretenus exprimo, & scriptis mandavi, Vobisq; præfento. Rogans insuper, quatenus & Recusationem & Apellationem, quam coram Vobis legitime instituere intendo, significetis & Libellum præsentetis A.R.P. Provinciali, sive *Commissario Delegato*. Cum ego ex metu reverentiali non audeam coram Ilio personaliter comparere, mihiq; beneficium Legis indultum ad meum præsidium proponere. Hinc coram Vobis tanquam honestis Viris compulsus sum personaliter compares in præsentia RR. PP. NN. Personam Provincialis tanquam mihi suspectam imò suspectissimam recusare in Judicem. Quapropter omnī quā decet humilitate Paternitates Vestras rogo, ne in Visitatione Judiciali quam facere intendit, ullò modō se immisceat in tangentibus me infrascriptum comparentem, ex eo, quod eum semel & iterum recuso, & ejus Judicio nullò modō me submittere vo-

lo, ex eo, quod sit mihi suspectus, imò suspectissimus. Quia [hic ponuntur cause, sive causa Recusationis.) Quam Causam me offero quando & coram quibus de Jure legitimis probare. Quod si non attenta præsenti Recusatione intendit se immiscere in tangentibus me Recusantem, ex nunc protunc dico, de nullitate Actorum apello ad Quem, & Quos de Jure, & ad Superiorem peto recursum. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Recuso, apello, peto recursum,
ut supra. mppr.

Ego N. fui Testis. mppr.
Ego N. fui Testis. mppr.

2. Quid autem agendum sit à Judice stante Recusatione, Q dico illum in tali casu hōc modō procedere debere, videlicet primō inscripta in Actis Processū officiosa recusatione, illam deinde vel si fuerit frivola rejicere, vel admittere hōc modō ut sequitur.

4. A Nno Domini N. die N. Mensis N. Comparuit coram A. R. P. Provinciali vel Commissario Delegato Fr. N. associatus PP. NN. & cum debita reverentia & humilitate, præsentavit illi Libellum quendam, qui incipit: (ponatur initium Libelli) & definit, ponatur subscriptio [vel alia ultima verba] & hic inseritur in Processu: Ex Mandato A.R.P. Provincialis signatus Lit: A: vel quocunq; signo, in quo continebatur Recusatio in Judicem A.R.P. Provincialis. Qui A.R.P. Provincialis dixit se Recusationem & Apellationem illam non acceptare, nisi si & inquantum erit de Jure. Acta sunt hæc, Die, loco, Anno & Mense, ut supra.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.

mpr.
Ego Fr. N. Actuarius mpr.

5. SI verò Recusatio fuerit proposita coram honestis Viris, Sut dictum est immediate, tunc ita scribendum manebit. Anno Domini N. die N. Mensis N. Comparuerunt coram A.R.P. Provinciali PP. NN. Sacerdotes, & dixerunt Pr. N. in eorum præsentia recusasse in Judicem prædictum A. R. P. tanquam sibi suspectum, & consequenter apellasse ab omnibus Actibus tangentibus Personam prædicti Recusantis, sibiq; Libellum Recusationis præsentasse, quem exhibuerunt præfato A.R. Patri Provinciali, quem ego ex ejus Mandato hic inserui signatum signo A. cujus principium. Cum ad amandum. & finis. Die N. Mensis N. Anno N.

6. A Dvertendum est, quod si Recusatio facta sit coram Viris honestis, tunc Recusans debet à Judice vocari & examinari hōc modō.

Tunc A. R. P. Provincialis vel Judex vocari coram se fecit prædictum Fratrem N. Recusantem, eiq; dato Juramento de veritate dicenda, quod & præstitit tactis Sacrīs Libris. Interrogavit imò. An aliquem Librum Recusationis ex Persona sua in Judicem scripserit, & alicui præsentaverit & eum recognosceret, si sibi ostendatur?

Respondit, scripsi, & illum ob metum reverentialem A.R.P. Dignissimæ, exhibui PP. N. & N. ipsumq: recognoscere possum. Et cum ex mandato Judicis per me Actuarium fuisset illi ostensus prædictus Libellus: dixit, ille ipse est, quem scripsi ego & PP. N. & N. consignavi.

Interrogatus. An persistat in eadem Recusatione?

Respondit, persisto firmiter, imò firmissimè, rogoq; A. R. Paternitatem quam humillimè, quatenus contra me non procedat.

7. Tunc A.R.P. dixit: se talem Recusationem non recipiat.

re nec illi deferre, nisi si & inquantum erit de Jure. Acta sunt hæc &c.

Ego Er. N. Minister Provincialis
mppr.

Ego Fr. N. Actuarius mppr.

8. **T**andem considerata ab A.R.P. Judice causa Recusatiōnis proposita à Fr. N. supradicto, cum reperisset illam frivolam, & de Jure non subsistentem, eam rejicit, tanquam nullius vigoris, & decrevit illa non obstante ad intimatam Visitationem Judicialem liberè & universaliter procedere. Acta sunt hæc die N. Anno N. Mense N. & loco ut supra.

Ego N. Minister Provincialis, mppr.
Ego N. Actuarius, mppr.

9. **Q**uod si Causa Recusationis sit evidens ex Jure, non tam evidens ex facto, sed hoc debet probari, tunc tali modo procedendum erit, positō Decretō de non admittenda, vel si inquantum admittenda Recusatione, ut dictum est, nro 7. inscribendum erit Compromissum forma sequenti.

10. **A**nno N. die N. Mensis N. in Conventu N. Vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali, sive Commissario Delegato, Fr. N. qui supradictam Recusationem proposuit, & illi intimatum fuit ab A.R.P. Judice, ut Arbitrum pro sua parte nominaret ad agnoscendum super Causa Recusationis à se proposita, aut quatuor sive sex Patres graves sibi benevisos proponeret, ex quibus unum aut duos Arbitros ipse A.R.P. Judex eligeret, qui ad formam Juris super Causa assertæ Recusationis pronuntient. Qui Fr. N. Judici gratias egit, & dixit se pro parte sui eligerere Patrem N. sive proposuit

De Praxib. circa Recusationem Judicis &c. 179
posuit ad hanc rem PP. NN. nimirūm effectum cognoscendi super allegata Causa Recusationis. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N. loco, tempore, ut supra.

Ego N. nominavi ut supra mppr.
Ego N. Minister Provincialis,

mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

11. **C**Onsequenter A.R.P. Provincialis, qui supra nominauit in Arbitrum ex parte sua Patrem N. sive ex supra nominatis à Fr. N. Recusante elegit in Arbitrum Communem Patrem N. vel elegit Arbitros Communes Patres N. & NN. vel in Arbitros nominavit, qui cum hujuscemodi munus Arbitrum suscepissent, illis assignavit terminum octo dierum ad pronuntiandum. Acta sunt hæc die N. Mense N. Anno N. & loco ut supra.

Ego N. Arbitr electus., mppr.
Ego N. Arbitr electus. mppr.

Ita est. Ego Fr. N. Minister Provincialis,
mppr.

Ego Fr. N. Actuarius, mppr.

12. **H**is præmissis Arbitri debent inter se componere de illoco & tempore discutiendæ Causæ Recusationis, quo facto cum Arbitri sint admodum Judicum, imò & veri Judices, hinc Processus illorum in Causa Recusationis poterit hoc modo formari.

In Nomine Domini, Amen.

13. **C**um in Causa quæ contra Fratrem N. acticatur coram A.R.P. N. Ministro Provinciali prædictus Fr. N.

Y2 recu-

recusavit memoratum A.R.P. Provincialem tanquam sibi suspectum Judicem, & ad cognoscendum super validitate dictæ Recusationis, ad normam Sacrorum Canonum & Praxis criminalis, à Patribus respectivè nominati sint in Arbitros Reverendi PP. N. & N. ipsisq; insinuata fuerit ab eodem A.R.P. Provinciali eorum electio, ac ipsi hoc Officium Arbitrum acceptaverint, prout patet ex Actis Processualibus, volentes prædicti RR. PP. Arbitri electi, munus suum prout de Jure exequi, convenerunt in Cameram & in eam præfente me infrascripto Notario jam creato in hac Causa ab A.P.P. ut ex Actis superioribus constat, vocatus fuit Fr. N qui ut præfertur tanquam suspectum Judicem recusavit A.R.P. Ministrum Provincialem, & sibi dato Juramento, quod non malò modò, neq; animò calumniandi, sed tantum ad sui indemnitatē memoratum Patrem Ministrum ut sibi suspectum recuset, quod & præstitit tactis Sacris Libris, fuit ei dictum ut Causam Recusationis proponeret, produceretq; Testes, aut alia legitima documenta, per quæ veritas & substantia talis Causæ probaretur. Qui prædictus Fr. N. reproduxit Copiam Libelli Recusatorii præsentati A.R.P. Provinciali recusato, & dixit Patribus Arbitris in illo contineritum Causam expressam Recusationis, tum Testes ad comprobandum necessarios, & se instare apud eosdem Patres Arbitros, ut omnia admitterentur & ad cognoscendum de veritate, tum in Jure, tum in facto procederent. Qui AA. RR. Patres Arbitri Libellum prædictum & omnia in eo contenta admiserunt, si & inquantum, & procedere decreverunt, jusseruntq; mihi Actuario ut Libellum prædictum ad Acta recipere, prout feci. Qui incipit NN. & definit NN. &

hic

hic inseritur signatus Litera A. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Arbiter. mppr.

Ego N. Arbiter. mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

SUccessive iidem PP. Arbitri, qui supra, in Cameram solitam convenientes examinaverunt Causam Recusationis expressam in supra dicto Libello producendo coram ipsis à Fr. N. Recusante, & cum invenissent eam esse ex suspicione, quæ oritur ex inimicitia, quæ afferitur versari inter Patrem Ministrum Recusatum, & dictum Fratrem N. Recusantem (vel si aliam adducat causam Recusationis illam ponant) pronuntiarunt Causam præfatam de Jure esse legitimam, proinde procedendum esse ad Inquisitionem an constet in facto de asserta inimicitia. Acta sunt hæc, die N. Mensis N. Annō N.

Ego N. Arbiter. mppr.

Ego N. Arbiter. mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

C A P U T XXX.

Praxis probandi Corporis Delicti.

S U M M A R I U M.

1. Judex non debet procedere ad Inquisitionem de delinquente non cognito Corpore delicti.
2. Corpus Delicti est duplex.
3. Debet primo præmittere Decretum de visitando Corpore delicti.
4. Et

4. Et tunc descendere ad visitandum Corpus delicti.
5. Demum descendere ad ipsius Examen in Stuba Judicij.
6. Vel descendendo ad locum Corporis delicti.
7. Interrogatoria hac in re.
8. Tandem Testes examinis Corporis delicti examinare.
9. Interrogatoria examinandis Testibus proponenda.
10. Modus terminandi examinis Testium.
11. Similiter examinandus alter Testis.
12. Ac tandem Decretum ponendum.
13. Si Corpus delicti sit facti transeuntis, aliter procedendum.
14. Videlicet hōc modō.
15. Interrogatoria Examinis.
16. Modus concludendi Examinis.
17. Hoc modo alter & tertius Testis examinandus.
18. Postea Decretum ferendum de probato Corpore delicti.

Dictum est suō locō supra, Judicem non debere descendere in forma Juris ad Inquisitionem de aliquo delicto, nisi illi prius constet de Corpore delicti, hinc quomodo possit capi hujuscemodi informatio, necesse est demonstrare, ante cuius demonstrationem.

Advertendum eit, *imò*. Corpus delicti esse duplex, pro. Aut supra diximus. Aliud nimirūm facti permanentis, aliud facti transeuntis. nomine facti permanentis intelligitur factum, post se relinquens vestigia, puta vulnus, livorem in facie, fracturam forium, vel fenestræ, & similia. nomine facti transeuntis venit actio nihil post se signi relinquens, ut est actio injuriæ verbalis, quæ cum vento transit, aliter itaq; probandum manet corpus delicti in facto permanenti, aliter

in

in facto transeunti. Nimirūm Corpus delicti permanentis, oculis Judicis debet comprobari in praesentia Testium, Delictum verò facti transeuntis debet probari per Testes devi- su. Utriusq; hujus Praxes manent adducendæ.

Porro antecedenter advertendum est *2dō*. quod ante- quam Judge five Ordinarius five Delegatus descendant ad probandum Corpus delicti, habitis illis, quæ præmissa sunt, debet ferre Decretum Interlocutorum hōc modō.

His ut præmittitur in forma Juris habitis, si & inquan- tum acceptatis, ad ulteriora prout de Jure procedere decre- vit. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Praxis probandi Corpus Delicti in Causa facti permanentis, puta in Causa gravis percussionis.

Consequenter A.R.P. Provincialis volens de Corpore Delicti certificari, associatus à me infrascripto & duo- bus pariter infrascriptis Testibus ad hoc specialiter vocatis & electis, se contulit ad visitandum Corpus delicti, accedens i- gitur ad Cellam Fratris N. *hic describatur Corpus Delicti, e- exempl. grat.* Vedit sub oculis ejus livorem *vel quid quid aliud fuerit;* per extensum describatur cum omnibus circum- stantiis, aut si agatur de alio negotio, vedit foræ fractas, aut fenestram, aut arbores fructiferas, vel decori inservientes excisas, & alia similia, ac tandem terminetur. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis mppr.

Ego Fr. N. fui Testis. mppr.

Ego Fr. N. fui Testis. mppr.

Ego N. Actuarius mppr.

De-

Demum prosequatur hoc modo:

5. COnsequenter A.R.P. Provincialis vocari ad se fecit me præsente ad Cellam suæ Residentiæ, in qua Tribunal erexerat præfatum Fratrem N. percussum, vel si non poscit accedere scribatur.

6. COnsequenter A.R.P. Provincialis accessit ad Cellam Fratris N. percussi, datoq; ei Juramento de veritate dicenda, eidem sequentes proposuit Interrogationes.

7. Interrogatus 1^o. Unde illi hujuscemodi livores?

Respondit ab alapa sive à fuste.

Interrogatus 2^o. Quis illum alapisavit, sive fustis?

Respondit Fr. N.

Interrogatus. 3^o. Quo in loco?

Respondit, in Arca Conventus.

Interrogatus. 4^o. Qua de causa?

Respondit. Rixati sumus, circa lusum Pyramidum.

Interrogatus. 5^o. Qua ex occasione?

Respondit.

Interrogatus 6^o. Quo tempore id factum?

Respondit, Die N. Mensis N.

Interrogatus 7^o. Fueruntne aliqui præsentes his omnibus?

Respondit, Fuerunt P. N. P. N. & Fr. N.

Interrogatus 8^o. An Fr. percussor ad hoc non fuerit ab aliquo instigatus?

Respondit.

Et lecta sibi per me sua depositione cum illi nil vellet addere vel minuere, ut supra Cap. 26. n. 8. usq; ad subscriptionem inclusivè.

Quo præmisso prosequatur Judex hōc modō.

9. Hōc præmissō vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali me præsente Fr. N. ex Officio assumptus, cui dato Jura-
mento

mento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore more Sacerdotali. Sequentes Interrogationes propositæ fuerunt.

9. Interrogatus 1^o. An interfuerit Visitationi alicujus percussi? sive quid simile.

Respondit, Fui præsens Visitationi, quam Vestra Paternitas fecit de Fratre N. percusso, vel si quid est aliud, vel si simile.

Interrogatus 2^o. An observavit omnia exactè, quæ vedit & eorum recordetur?

Respondit, Bene omnia ponderavi quemadmodum & adnotatioñem eorum factam à Patre Secretario.

Interrogatus 3^o. An si eam legi audiret, & suam subscriptionem recognosceret?

Respondit, Utiq; optimè cognoscerem.

Tunc ad Mandatum A.R.P. Provincialis ostensa est descriptio Corporis delicti Patri N. visitato, per me Actuarium, quā visā dixit. Hæc est descriptio me præsente facta, & manu mea subscripta.

10. E T lecta sibi sua depositione cum nihil vellet addere, vel minuere, monitus de servando Secreto propriā manū se subscripsit, & dimissus est salvo jure vocandi eundem, si iterum opus fuerit. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Testis deposui. ut supra.
mppr.

Ego N. Minister Provincialis
mppr.

Ego N. Actuarius mppr.

11. S Imili modo examinandus erit alter Testis ex Officio assump-
tus, cuius examine completo antequam ad Examen Testi-
um descendetur formandum est Decretum Interlocutorium hōc modō.

Pars II.

Z

II.

12. **C**Um ex hucusq; actitatis probata maneat plenè percussio Fris N. vel quid quid illud fuerit, A.R.P. Provincialis decrevit, prout de facto præsenti Decreto decernit ad ulteriora procedere, inquirendo de delinquente, Testes examinando, & alia prout de Jure præstanto. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. N. Actuarius. mppr.

13. **S**I verò Corpus delicti fuerit facti transeuntis nullum post se relinquens vestigium, ut exempl. grat. factum jurgiorum, vel egressus post silentium extra Portam. Tunc hòc modò examinandum erit.

14. **D**ie itaq; N. coram supradicto A.R.P. Provinciali vocatus fuit P. N. Concionator, *sive Lector, sive Confessorius, sive Fr. N. Clericus Subdiaconus, sive Fr. N. Laicus professus.* ætatis Annorum prout ipse dixit N. Religionis N. Cui datò Juramentò de veritate dicenda, quod & præstítit tacto pectori more Sacerdotali, *vel si fuerit Clericus aut Laicus, tactis Sacris Libris, sufficienterq; præmonito sequentes infrascriptæ sunt propositæ Interrogationes.*

15. Interrogatus 1^{mo}. An sciat causam suæ vocationis? Respondit.

Interrogatus 2^{do}. In quo Conventu maneat de Familia? Respondit. In hoc Conventu à Convocatione.

Interrogatus 3^{ti}. An in hoc Conventu Fratres vivant omnes Religiosè?

Respondit, non adeò.

Interrogatus 4^{to}. Qua de causa id dicens?

Respondit. Quia non adeo pridem rixati sunt irreligiosè Fr. Rixosus cum Fre Tranquillino?

Interrogatus 5^{to}. Qua de causa?

Respondit.

Inter-

Interrogatus 6^{to}. Quis motor fuit hujus Rixæ? Respondit. Utiq; Fr. Rixosus. Fre Tranquillino nullam ad hoc dante ansam.

Interrogatus 7^{mo}. Quo tempore id factum? Respondit, Die Jovis post Dominicam NN.

Interrogatus 8^{vo}. Quo in loco?

Respondit. In Refectorio immediatè post Prandium.

Interrogatus 9nd. Qui nam huic iur gio amplius fuerunt præsentes?

Respondit, Pr. N. Pr. N. & Fr. N. atq; Fr. N.

Interrogatus 10^{mo}. An non habet aliquam inimicitiam cum Fr. Rixoso?

Respondit, Nihil unquam cum illo habui neq; amicitiæ, neq; inimicitiæ.

16. **E**T cum lecto sibi hoc suo examine per me Actuarium Enihil vellet addere vel minuere, monitus de servando silentio, propriâ manu se subscripsit, & dimissus est, servato Jure, iterum si opus fuerit vocandi eum. Acta sunt hæc, die N. Mensis N. Anno N. ut supra.

Ego N. deposui, ut supra.

mppr.

Ego N. Minister Provincialis. mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

17. **P**Arî itaq; modò examinatò secundò aliquò, & si placuerit etiam tertio quod magis expedit, si deponentes fuerint concordantes, Judex debet descendere ad formandum Decretum Interlocutorium, quo decernat constare de Corpore delicti hòc modò.

18. **C**Um ex hucusq; actitatis probatum maneat delictum Rixosæ contentionis fuisse commissum. A.R.P. Provincialis decrevit, prout præsenti Decreto decernit, ad ulteriora procedere inquirendo de delinquente, Testes exami-

Z2

nan.

nando; & alia prout de Jure præstanto. Acta sunt hæc die
N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis.
mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

19. **U**Bi verò Corpus delicti non fuerit probatum, concludendum hōc modō. Cum ex hucusq; actitatis non remaneat plenè probatum Corpus delicti post omnem diligentiam adhibitam. Decrevit A.R.P. Provincialis, prout defacto præsenti Decreto decernit, levare manum à Proces-
su, & de eo amplius non inquirere, donec pleniores delicti probationes possint haberi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Provincialis
mppr.

Ego N. Actuarius. mppr,

C A P U T XXXI.

Praxes examinandorum Testium.

S U M M A R I U M .

1. Testes examinantur, vel ad probandum delictum, vel delinquentem.
2. Modus incipiendi examinis Testis.
3. Interrogatoria Testium.
4. Modus concludendi examinis Testis.
5. Quod si Testis voluerit aliquid addere vel minuere, quid faciendum?
6. Ubi Examen unō tractū absolvī nequit, quid agendum?

7. Modus inscribendæ interruptionis Examinis.
 8. Ubi reassumitur Examen quomodo procedendum?
 9. Modus reassumendi Examinis.
 10. Praxis examinandi Testes circa delictum evidens delinquentे incognito.
 11. Tandem complendum Examen.
 12. Deinde terminandum.
 13. Praxis examinandi Testes de Inimicitia.
 14. Initium illius.
 15. Interrogatoria proponenda.
 16. Deinde Examen concludendum.
 17. Praxis examinis Testis de Inimicitia circa recusatio-
nem Judicis.
 18. Deinde compleatur Examen.
 19. Praxis examinandi Testes in casu Notorii.
 20. Interrogatoria proponenda.
 21. Deinde complendum Examen.
 22. In Examine mutanda sunt Interrogatoria juxta exi-
gentiam responsum.
 23. A suggestivis Interrogationibus Judicibus semper ca-
vendum.
 24. Semper tamen attendendum ad illud dictum: Quis,
quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.
1. **A**d probandum delictum, ut est in Inquisitionibus Ge-
neralibus & probatione Corporis delicti transeuntis, vel ad
probandum delinquentem, quando nimirūm delictum per
se patet, aut est sufficenter probatum, utriusq; istius Testis
examinandi Praxes apponuntur, & rimo.
2. **V**ocatus itaq; fuit coram A.R.P. Ministro Provinciali
Pr. N. Concionator, sive Lector, sive Confessarius, sive
Fr.

Fr. N. Clericus Subdiaconus, sive Fr. N. Laicus Conversus, ætatis Annorum prout ipse dixit N. Religionis N. Testis ex Officio assumptus, sive à Parte productus juxta Processus inchoationem & viam, qua fabricatur, qui sufficenter fuit monitus, ubi illi oblatum fuit Juramentum de veritate dicenda, quemadmodum & juravit tacto pectore more Sacerdotali, vel tactis Sacris Literis si non fuerit Sacerdos, ad propositas si bi Interrogationes respondit ut sequitur.

3. Interrogatus in modo. An sciat vel præsumat Causam suæ vocationis? si respondeat se scire vel præsumere,

Interrogetur, quidnam est tale?

Respondit,

Quod si respondeat se nescire nec præsumere. Interrogandus erit hoc modo.

Interrogatus, in quo Conventu maneat de Familia?

Respondit, in hoc Conventu.

Interrogatus, à quo tempore?

Respondit. ab aliquot annis, vel à Capitulo præterito.

Interrogatus, Quod Officium habet?

Respondit.

Interrogatus. An omnes Religiosi morigeratè vixerint toto hoc tempore?

Respondit. non adeò.

Interrogatus. An non sit commissum aliquod scandalum extra vel intra Conventum?

Respondit. Accidit utiq;

Interrogatus. Quale namq; hoc scandalum fuerit?

Respondit.

Interrogatus. quo in loco? Respondit.

Interrogatus. Quomodo id sciat? Respondit.

Interrogatus. Quibus præsentibus id factum? Respondit.

Inter-

Interrogatus, An Paternitas quoq; id viderit, vel ab aliis audierit?

Respondit. Vedit etiam P. N. & Fr. N.

Si respondit se audisse, interrogandus erit à quo nam audierit? Respondit à Pr. N. & Fratre N. ac Fratre N. Si respondit quod audierit. Interrogetur de omnibus circumstantiis facti illius sigillatim procedendo.

Interrogatus, an Paternitas sit amicus vel inimicus Fr. N. quem nominavit?

Respondit, neq; amicitiam aliquam cum hoc Fratre, neq; inimicitiam habeo.

4. **Q**uibus in forma Juris habitis si & inquantum accerptatis A.R.P. Provincialis per me Actuarium legi clare & distinctè fecit prædicti Testi suam depositionem, cui cum nihil voluisse addere vel minuere, monitus de servando silentio, propria manu se subscripsit, vel nesciens scribere signum Crucis apposuit, & dimissus est salvo Jure &c. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N,

Ego N. Testis deposui ut supra. mppr.

Ego N. Minister Provincialis. mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

5. **Q**uod si Testis voluerit aliquid examini suo addere vel quæ dixit mutare, tunc scribendum erit totum quod mutavit, juxta quod dictum est Cap. 25. n. 9.

6. **U**bi verò ob aliquam rationem examen unius Testis, uno tractu finiri non posset, tunc hoc modo interruptio in Processu adnotanda manebit.

7. **Q**uoniam ob horæ tarditatem, vel urgentissimum negotium quod supervenit A. R. P. Provinciali, non potuit hoc Examen completere expediri, mandavit A.R.P. Exam-

men

men protunc terminari animo illud opportuno tempore continuandi, & perficiendi, proinde lecto ipsi Testi hoc suo Examine ac si & inquantum ab A.R.P. Provinciali acceptato, Testis ipse suo Examini subscriptis, & dimissus est. Acta sunt hæc &c. ut supra.

Ego N. affirmo, ut supra mppr.

Ego Minister Provinciaalis. mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

8. Ubi autem reassumendum fuerit Examen hōc modō procendendum.

9. Die N. Mensis N. Anno N. præfatus A.R.P. Provincialis volens continuare Examen interruptum Fratris N. vocari illum denuo coram se fecit, & ipsi datō Juramentō de veritate dicenda &c. prout supra N. 2do.

10. Praxis examinandi Testes ubi delictum est evidens ignoto delinquentे.

Vocatus fuit &c. vide supra n. 2do.

Interrogatus 1mō. An sciat vel præsumat causam suæ vocationis?

Respondit.

Interrogatus. In quo Conventu & à quo tempore maneat de Familia?

Respondit. In hoc Conventu à Capitulo.

Ubi morabatur, die N. Mensis N. circa horam secundam post meridiem?

Respondit, in Arca Conventū.

Interrogatus. Quinam eo tempore fuerunt ibidem cum Paternitate?

Respondit, P. N. Frater N. &c.

Interrogatus. An tali tempore commissum fuerit ali quod delictum & quod?

Respondit.

Inter-

Interrogatus. Quomodo id Paternitas sciat, an viderit ipse, an verò ab aliis audierit?

Si respondit se vidisse, interrogandus erit an etiam alii, quos nominavit viderunt illud ipsum? Respondit.

Interrogatus, quisnam Auctor sit illius delicti? Respondit.

Si verò ad superiorem interrogationem, responderit se audisse, tunc interrogandus manebit

Interrogatus. A quonam vel à quibus id audierit? Respondit.

Interrogatus. An non sit suspicio de aliquo Fratre, quod sit Auctor illius delicti? Respondit.

Interrogatus. An amore vel odio deposuerit? Respondit.
11. Et tunc demum compleatur Examen eō modō, quo supra n. 10. Cap. 30.

12. Quibūs in forma Juris habitis, si & inquantum acceptatis &c.

13. Praxis examinandi Testes de inimicitia propter quam rejicitur aliquis ab accusando vel testificando.

14. Vocatus fuit &c. ut supra n. 2do.

15. Interrogatus, an sciat causam suæ vocationis?

An cognoscat Patrem N. & Fratrem N?

A quo tempore illos noscat, & an cohabitaverit cum illis?

An sciat illos inter se fuisse Amicos?

An ex post non facti sunt Inimici?

An sciat & quomodo illorum inimicitiae?

Quæ signa inimicitiae inter illos viderit?

An sciat ex post fuisse reconciliatos, & à quo tempore?

An sciat inimicitiam repullulasse, & ob quam causam, & quomodo sciat?

Par; II.

Aa

An

An sciat dictum Patrem N. cum Fratre N. fuisse rixatos & voluisse illum percutere, nisi fuisset impeditus?

An sciat aliquando ipsum illi fuisse minatum?

An dictus Frater sit solitus minas exequi?

Quomodo id sciat?

An credat ex tali inimicitia Pr. N. potuisse percutere, vel vulnerare Fratrem N.?

Quare & ex quibus indiciis id credit?

An etiam alii sciant, quæ Paternitas deponit, & quinam sint illi, Qui illorum duorum, quos Paternitas nominavit de hoc scire, sit magis Amicus ipsius Testis?

16. Deinde concludetur Examen suo modo, ut supra n. 4.

17. Quibus in forma Juris habitis si & in quantum &c. &c.

Altera Praxis examinandi Testes de inimicitia ad effectum recusandi Judicem.

Vocatus fuit Fr. N. Testis productus & exhibitus à Fr. N. recusante vel excipiente, & datō sibi Juramentō de veritate dicenda

Fuit interrogatus, an sciret se debere vocari ad Examen? Respondit, scivi.

Interrogatus, à quonam scivit? Respondit à Fratre N.

Interrogatus. Quid ei dixerit Frater N. ad cuius instantiam examinatur?

Respondit. Dixit mihi &c.

Interrogatus. An ipse sit ejus Amicus, & quo tempore? Respondit.

Interrogatus, ad quem effectum dixerit se debere examinari? Respondit.

Interrogatus. An ipse Testis libenter acceptaverit munus testificandi in hoc casu, an invitus? Respondit.

Interrogatus, Quare acceptavit? Respondit.

Inter-

Interrogatus. An cognoscat Patrem Provincialem, & à quo tempore? Respondit.

Interrogatus. An ipse Testis sit Amicus vel Inimicus ipsius? Respondit.

Interrogatus. An sciat & quomodo inter Fratrem Recusantem & Patrem Recusatum vigere inimicitiam, & à quo tempore, & de causa hujus inimicitiae? Respondit.

Interrogatus. An alii quoque quipiam sciant hanc inimicitiam, & quinam sint illi?

Interrogatus. An fuerint reconciliati, ex post & denuo facti inimici, & unde id sciat?

18. Et compleatur Examen modo quo supra.

Quibus in forma Juris habitis &c. &c.

Praxis examinandi Testes in casu Notorii delicti.

19. Vocatus fuit coram &c. prout Cap. eodem n. 2.

20. Interrogatus, an sciat causam suæ vocationis? Respondit.

Interrogatus, In quo Conventu habitet de Familia? Respondit in hoc Conventu maneo. &c.

Interrogatus, à quo tempore in hoc Conventu reperiatur? Respondit.

Interrogatus. An sciat in hoc Conventu aliquod inconveniens, aut scandalum commissum? Respondit.

Interrogatus. Quomodo id sciat? Respondit.

21. Deinde compleatur Examen juxta sæpius dicta.

22. **A**dvertendum est 1^{mo}. Quod hōc vel simili modō omnina Examina institui debeant conformiter ad prædicta, sed mutatis interdum mutandis juxta exigentiam materiæ Examini subjectæ & Responsorum datarum à Testibus, quæ omnia est impossibile pene recensere. Ast Sapientibus, quibus hæc scribo non doctrinæ gratiâ, sed animo reducendi in memoriam hæc satis esse puto innuere.

A a 2

23.

23. **A**dvertendum 2^{do}. In omnibus Examinibus cavendum esse Judicibus à suggestivis interrogationibus, hæc enim vitiant Processum & reddunt nullum.
24. **A**dvertendum est 3^{to}. In omni Examine viridi memoria retinendam esse illam Regulam Generalem. Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Si enim conformiter ad hæc instituatur, erit solidum & in nullo vi- tiosum, servatis aliis de Jure servandis, de quibus suis in locis satis dictum est.
- A**dvertendum est 4^{to}. Quod quemadmodum aliquoties dictum est ad omnem rem probandam, sive nimirū famam, sive infamiam, sive corpus delicti, sive ipsum delictum, necesse duo ad minus, melius verò tres Testes examinare, quare & in casu, de quo agitur adpræsens duo vel tres hōc modō Testes examinandi erunt. Quibūs examinatis ubi fuerint conformes & concordantes, ponendum erit Decretum de Reo declarando & constituendo, eō modō, quo sequenti Capite proponetur.

C A P U T XXXII.

Praxis examinandi & constituendi
Reum.

S U M M A R I U M .

1. Præmisso Examine Testium, Decretum ferendum est à Judge.
2. Forma hujus Decreti.

3. Quod si Reus sit vehementer suspectus de fuga, poterit incarcerari.
4. Forma Decreti de arctatione Rei.
5. Quod Decretum intimari debet Superiori Locali.
6. Si Reus non sit suspectus, vocandus est ad Judicem.
7. Modus incipiendi Examinis Rei constituti.
8. Interrogatoria Reo proponenda,
9. Si Reus fateri nolit delictum, quomodo producendum?
10. Modus concludendi Examinis.
11. Reus saepius examinari potest.
12. Modus secundi Examinis Rei constituti.
13. Interrogatoria eidem proponenda.
14. Quod si iterum in negatione persistat, quid faciendum?
15. Hæc tamen nonnisi militant, quando delictum non est sufficienter probatum.
16. Puta ubi adest tantum semiplena probatio vel indicia sufficientia.
17. Modus tertii Examinis Rei constituti.
18. Interrogatoria illi proponenda.
19. Ubi Reus titubat, pallet, vel suspirat, quomodo procedendum?
20. Modus concludendi Tertii Examinis.
21. Reus plenè non convictus, in negatione persistens, nequit puniri pænā ordinariā, sed solūm arbitriā.
22. Si verò nec semiplenè sit convictus, ut innocens absolvendus.
23. Quod si Reus fatetur Crimen ad ulteriora procedatur.
24. Praxis examinandi Reum in delicto Notorio.

25. Interrogatoria eidem proponenda.
26. Si non respondeat debitè, quid faciendum?
27. Modus concludendi Examinis.
28. Quod si effrons fuerit in negando, quid faciendum?
29. Ponitur Formularium Decreti, & conclusionis Examini.

I. Postquam corpus delicti fuerit probatum per duos ad minus vel tres Testes integros, & consentientes, ac in nullo suspectos, præmissa Decreta ulterius, prout de Jure procedendi, ac Testes examinandi, illis demum examinatis videlicet Testibus, ubi & Auctor delicti inventus fuerit, & probatus, ponendum erit Decretum constituendi Reum, antequam ad Rei vocationem & examen procedetur hoc modò.

2. Cum ex hucusq; actitatis appareat Fratrem N. esse Reum percussionis Fratris N. vel quodcumq; illud fuerit, hoc adnotetur. Decrebit A.R.P. Provincialis prædictum Fratrem N. Reum constituere, prout vigore præsentis Decreti eundem Reum constituit, atq; coram se citare, eumq; examinare, & alia prout de Jure exequi, Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
mppr.

Ego Fr. N. Actuarius mppr.

3. Quod si Reus sit vehementer suspectus de fuga, tunc deberet incarcерari prout dictum est suō loco, ast hoc fieri debet per Decretum & ex Consilio aliquot graviorum Patrum, puta hoc modò.

4. Consequenter considerans A.R.P. Provincialis atrocitas delicti, de quo indicatus est Fr. N. prout patet ex Actis, nec non periculum, ne Reus aufugiat, & iuititia si-
ne

ne suo frustretur, necessarium duxit, prout de Jure, petere consilium à Patribus peritis, num scilicet Pr. N. indicatus intuitu illorum quæ militant contra illum, & non frivola suspicionis de fuga, possit ad custodiam in Carcere assecurari? Hinc in Cameram suæ Residentiæ vocari fecit Patrem N. Exprovincialem vel Definitoriem, & P. N. Lectorem, vel Prædicatorem, qui sunt magis periti in Conventu isto, & communicata illis Causa petiit ab illis Consilium, an stantibüs his quæ militant contra Reum, eis expedire videatur & id consulant, ut prædictus Reus ad custodiam carceretur? Qui Patres considerata gravitate criminis, cui longus Carcer debetur, & conditione Rei, qui est Juvenis, audax, parum morigeratus, & alias apostasiam commisit, vel fugam meditatus, vel dixit se velle fugere, consuluerunt A.R.P. Provinciali, ut carceretur ad custodiam prædictus Reus. In vim ergo Consilii prædicti, & attentis Causis supra adductis decrevit A.R.P. Provincialis, quod memoratus Fr. N. Reus Carceri manciparetur ad custodiam. Data Commissione P. Gvardiano dicti Conventū, ut Decretum præfatum executioni demandet, prævia præcautione, ne Fri N. horda' & Caputium auferatur, cum non ad Carcerem formalem, sed nonnisi ad puram custodiam demandetur. Acta sunt hæc in Conventu die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Consiliarius. mppr.
Ego Fr. N. Consiliarius. mppr.

Ego N. Minister Provincialis.
mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

5. Et intimatō per me infra scriptum Actuarium præfatō Decretō Patri N. Gvardiano Conventū N. dixit se in

in continenti esse illud executioni mandaturum. Acta sunt
hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Actuarius mppr.

ANNO, Mense, die, quo supra. Comparuit coram me Actua-
rio prædictus Pr. N. Gvadianus Conventus N. & retu-
lit se Carceri ad custodiam demandasse præfatum Fr. N. mo-
dô & formâ sibi præscriptâ ab A.R.P. Provinciali.

Ego N. Actuarius mppr.

6. **Q**uod si Reus non sit de fuga suspectus posito Decre-
to Constitutivo illius in Reum, prout dictum est n. 2.
istius Capitis, Judex sic procedat.

7. **D**ie N. Mensis N. Anno N. Vocatus, fuit & personaliter
constitutus coram A.R.P. Provinciali, Pr. sive Fr. N.
ætatis annorum N prout ipse dixit. Religionis verò N. Reus in-
famatus seu indiciatus, sive accusatus sive denuntiatus, de-
& super (hic ponatur delictum de quo agitur in Processo) atq;
monitus quod contra ipsum adfiant indicia sufficientia, ac
Testes fere convincentes, sic ut sincere respondere teneatur
& delictum suum fateri, ac eidem delato Juramento de ve-
ritate dicenda, super interrogationibus illi proponendis pro-
ut defacto juravit, tacto pectore more Sacerdotali, *vel si non*
sit Sacerdos tactis Sacris Libris ad propositas interrogaciones
respondit ut sequitur.

8. Interrogatus 1mō. An sciat causam suæ vocationis?
Respondit.

Interrogatus. Unde veniat? Respondit ex Carcere.

Interrogatus. Quis ipsum incarceravit? Respondit.

Interrogatus. Quam ob Causam?

Et si respondeat Crimen suum fateri, in nullo impediatur, A-
ctuarius autem sit exactus in adnotandis omnibus illius verbis,
ac demum aliæ & aliæ Interrogationes eidem proponantur primo

à longe, postea proprius, donec delictum cum omnibus circumstanti-
is fateatur.

9. **Q**uod si respondeat se nescire, quod etiam contingere potest &
ad primam interrogationem propositam. An nimis sciat causam
suæ vocationis, tunc longe formandæ erunt Interrogationes hòc modò.

Interrogatus, in quo Conventu maneat de Familia?

Respondit,

Interrogatus, à quo tempore? Respondit,

Interrogatus. An non factum sit in hoc Conventu ali-
quod scandalum? Respondit.

Si dicat se ignorare, subjungat.

Interrogatus. An hoc vel aliud scandalum non sit com-
missum?

Quod si id quoq; neget scire, monendus erit à Judice, ut
consulat animæ suæ, & se recogitet, ac tandem fateatur ve-
ritatem. Interim concludat Examen hòc modò.

10. **Q**uibus habitis jussit A.R.P. Provincialis hoc Examen
Reo perlegi, quò perfectò eundem interrogavit: an
illi vellet aliquid addere vel minuere, quo respondente,
quòd nihil velit immutare, mandavit, ut suo Examini se
subscriberet, quod & fecit, tandem monitus de servando
silentio, dimissus est salvo Jure iterum vocandi eum ad pla-
citum & arbitrium A.R.P. Provincialis. Acta sunt hæc,
die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. deposui ut supra. mppr.

Ego N. Minister Provincialis. mppr.

Ego N. Actuarius. mppr.

11. **Q**uia verò aliquoties examinari potest, hinc Judici ad-
vertendum est, ne in primo Examine accedat ad
proximiora, sed tantùm à longè ubi ille persistat in negatio-

Pars II.

B b

ne.

ne. Jam verò in secundo Examine potest accedi ad proximiora & ad indicia, quæ militant contra ipsum exempl. gr. hōc modō.

12. **D**ie itaq; Mensis, Anni. Iterum vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali Fr. N. Reus, qui supra, quem Paternè monuit, ut à tot mendaciis & perjuriis desistat, & veritatem nudè fateatur, cum contra ipsum militant indicia sufficientia & Testium probationes, cui dato Juramento de veritate dicenda, sequentes propositæ sunt Interrogationes, puta in casu percussionis tempore nocturno alicujus Fratris factæ, exempl. grat. die 9. Maii.

13. Interrogatus. An die 9. Maji fuerit in Conventu? Respondit, fui.

Interrogatus. An non fuerit cum aliquo rixatus?

Respondit. Aliquantulūm cum Fratre Mansveto.

Interrogatus. Nonne hoc est sufficiens indicium quod tu debuisti eum directè percutere, quem etiam inter rixas voluisti vapulare, sed impeditus es à præsentibus aliis Fratribus? Respondit.

14. **E**t si iterum neget, tunc iterum monendus est & terrendus Carcere, Jejunio & aliis mortificationibus, immo etiam per torturam, prout suo loco dictum est juxta praxim unius cuiusq; Ordinis cogendus ad fatendam veritatem. Examen autem terminandum eō modō quo supra, & iterum tertio, & si placuerit & quartò vocandus.

15. **A**dvertendum est hæc omnia militare, quando delictum non est sufficienter probatum, ubi verò delictum est sufficienter probatum, si post secundum Examen persistiter in negatione, hac non obstante poterit ad pænam Statutariam condemnari, juxta illa, quæ dicta sunt suō loco. Cap. 22. n. 6.

16. **U**bi itaq; contra Reum militant solum semiplenæ probationes & indicia sufficientia. Si Judex tertio Reum coram se statuere & examinare decreverit, hōc modō procedendum erit.

17. **D**ie, Mensis, Anni. Iterum, hoc jam tertio vocatus fuit coram A.R.P. Ministro Provinciali, vel adductus comparuit Fr. N. Reus, qui supra, qui gravibus adhortationibus atq; salutaribus monitis cohortatus fuit, quatenus velit consulere saluti animæ suæ fatendo veritatem, & desistendo à perjuriis, cum contra ipsum militant in Processu indicia sufficientia & probationes, & de novo jussus juravit tactis Sacris Libris atq;.

18. Interrogatus 1std. An non tu Frater, Fratrem Mansvetum percussisti? Respondit, non percussi illum.

Interrogatus 2ndd. Quomodo hoc audeat negare, cùm Testes & indicia affirment te id commisissé?

Et hic poterunt perlegi Reo depositiones Testium super præmissis nihilominus Testium Nominibus, uti & indicia contra ipsum militantia & iterum.

Interrogatus 3rdd. Potesne negare quod tali die id feceris, & sic deinceps prosequatur Judex, omnia, quæ contra Reum militant.

19. **A**dvertendum hōc loco est. Quod ubi Reus incipit titubare, pallere, suspirare, tunc Judex magis urgere debet. Quare gemis, suspiras &c, nonne vides te veritate confusum, fatere ergo delictum tuum. Quod si in negatione persistat, hoc modo terminandum erit Examen.

20. **V**idens autem A.R.P. Provincialis se nihil proficere suis qua monitionibus, qua adhortationibus, qua rationibus Reo pluries replicatis, ipsumq; pertinacem manere in negando, decrevit ipsum ad præfatum locum arctationis ultius

rius mortificandum reducere, & opportuno tempore de jure agenda perficere, postquam itaq; lectō sibi suo Examine subscripsit, dimissus est. Acta sunt hæc die N. Mensis N: Anno N,

Ego Fr. N. deposui. ut supra.

Ego Fr. N. Minister Provincialis
mppr.

Ego Fr. N. Actuarius. mppr.

21. Pro conclusione autem horum quæ dicta sunt de Constitutione & Examine Rei. Advertendum est, quod si hoc sit ultimum Examen Reo semper in negatione persistente, si aliunde Reus non sit plenè convictus, sed non nisi militent contra ipsum sufficientia indicia, vel suspicio vehementis, vel semiplena probatio, quæ ipse Reus non possit plenè evacuare, tunc licet Judex non possit Reum punire pænâ Statutariâ, poterit tamen illi pro sua prudentia aliquam pænam arbitrariam minorem tamen Statutariâ, impone. Ita Spatharius Tract. 7. Cap. 16. n. 3. Hinc Gaudentius Kierchove, non probat praxim aliquorum, qui habita suspicione de aliquo, alicujus delicti, tamdiù torquent Reos semiplene probatos, per Jejunium & Carcerem, donec fateantur veritatem. Ita ut hæ mortificationes videantur adæquare, vel etiam præsuperare pænam debitam delicto ex Statutorum dispositione. Ita Portel: verbo Tortura n.2. Examen.

22. A dvertendum est 2do, quod si contra Reum non adfint neq; semiplenæ probationes, si Reus persistat in negatione, tunc Reus dimittendus est in pace, juxta Regulam Juris. Actore non probante absolvitur Reus. Hinc in Statutis nostris quoq; Generalibus habetur, si objectum crimen omnino negaverit, nec veritas probari aut sciri possit, liber Reus evadat.

De Praxib. constituen. & examin. Reum 205
dat. Exemplum autem Sententiæ absolvitoriae dabitur Cap. sequenti, ubi de Sententiis.

23. A dvertendum est 3ti. Quod si Reus fateatur Crimen, Attunc ad ulteriora procedendum erit modis de quibus infra.

Praxis examinandi Reum in delicto Notorio.

24. A nno, Die, Mensis. Vocatus & constitutus fuit coram A.R.P. Provinciali Fr. N. Reus, qui ut probatum fuit notoriè *[hic describatur delictum ab eo commissum, exempl. grat.* Crimen Apostasie commisit, cui datō Juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. Et si delictum habeat annexam Excommunicationem, addatur) eoq; absoluto ab Excommunicatione ad effectum standi in Judicio & cum reincidentia, & non aliter, A.R.P. Provincialis exprobravit eidem delictum commissum, quod timore DEI postposito, ausus fuit abominabilis Apostasie crimen admittere, & perpetrare ipsumq;

25. Interrogavit. Quare nam non debeat condemnari, cum Crimen Apostasie commiserit? Qui si non ad propositum respondeat, ulterius procedendum erit hòc modò. Et fuit ei dictum, quod de hoc non sit sermo, neq; quidquam negotii, cum manifestum & notorium sit ipsum Crimen Apostasie commissæ, sed solum quæri cur nam ob hoc Crimen pænâ Statutariâ non debeat puniri? si quod habet pro levamine criminis?

26. Si verò respondeat ad propositum afferendo suas excusationes, tunc hæ adnotentur, ac tandem Examen hòc modò terminetur.

27. Tunc A.R.P. Provincialis decrevit, ut sibi Patronum eligeret, & in triduo allegaret, quare nam non debet ad pænam ordinariam condemnari, & lecto sibi suo exa-

examine postquam illi subscriperit, dimissus est, vel ad locum
arctionis remissus. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.
ut supra.

Ego N. affirmo, ut supra mppr.
Ego N. Minister Provincialis.

mppr.
Ego N. Actuarius. mppr.

28. Quod si adeò sit effrons ut negare Delictum perget,
Q[uod] hoc non obstante, h[oc] modō terminandum erit E-
xamen.

29. Et cum in negatione persisteret, nec causam assignaret
Ead excusandam criminis gravitatem. Decrevit A.R.P.
Provincialis, ut sibi Patronum eligeret, & in triduo allega-
ret, prout supra immediate.

C A P U T XXXIII.

Praxes concedendi Reo debitas de Jure Defensiones.

S U M M A R I U M.

1. Praxis concedendæ defensionis Reo Convicto &
Confesso.

2. Ubi Reus non sit plenè convictus, & in negatione
persistit militantibus contra ipsum indiciis gravissimis vel
semiplena probatione, aliter procedendum.

3. Nimirum h[oc] modō qui proponitur.

4. Quocunq[ue]; modo procedatur, Decretum defensionis
per Notarium Reo debet manifestari.

5. Cujus Manifestationis proponitur forma.
6. Ex his patet forma Decreti de Tortura Rei.
7. Praxis acceptandi Defensiones.
8. Quo factō moneri debet Patronus à Reo electus.
9. Ubi Reus renuntiat Defensionibus, quid faciendum?
10. Modus acceptandæ resignationis oblatarum Reo de-
fensionum.

Praxis concedendæ Reo defensionis postquām
Delictum recognoverit & fassus fuerit,

1. C um hucusq[ue]; actitatis ,contra Fratrem N. Reum de &c.
(hic exprimatur delictum, de quo fuit inquisitus) ple-
nè pateat prædictum Fratrem N. fuisse & esse Auctorem
dicti criminis, quemadmodum & ipse timore DEI compulsus
proprio ore fassus est, hinc antequam ad ulteriora prout de
Jure procederet A. R. P. Provincialis, eidem Fratri N. Reo
debitas defensiones concedendas duxit, prout eidem vigore
præsentis Decreti indulget & concedit. Fine quo quantum
fieri possit se relevet à pænis Statutariis ipsum spectantibus.
Acta sunt hæc, die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis. mppr.
Ego N. Actuarius. mppr.

2. Quod si Reus non sit plenè convictus, & in negatio-
ne delicti persistens, contra quem tamen militant se-
miplenae probationes vel indicia certa & gravia, vel saltim
vehementissima suspicio, tunc tale Decretum formandum
erit.

3. C um ex hucusq[ue]; actitatis contra Fratrem N. Reum de
& super delicto (hic ponatur delictum, de quo factus est
Processus) pateat illum esse semiplenè convictum de delicto,
five

sive gravia emergunt indicia de delicto per ipsum perpetrato, quæ ipse vel quas omnino diluere nequit, nihilominus tamen obstinate in negatione persistat, crimenq; fateri renuat, ubi ex una parte condemnari ad pœnam Statutariam delicto debitam nequit, ut pote planè ac plenè ad præscriptum Juris non convictus. Ex altera autem parte impunis nequit dimitti ad præscriptum Juris ejusdem. Hinc idem A.R.P. Provincialis decrevit, prout vigore præsentis Decreti decernit, eidem Fratri N. Reo concedendas esse Defensiones in ordine ad docendum, quare nam pœnis Statutariis aut forte nullis sujici debeat. Acta sunt hæc die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Minister Provincialis. mppr.
Ego Fr. N. Actuarius. mppr.

4. Sive autem hoc, sive antecedens Decretum latum fue. Srit, Actuarius tenetur illud Reo manifestare hōc modō.
5. Prædictum Decretum intimatum fuit per me infra scriptum eidem Fratri Reo, in quorum fidem manū propriā me subscribo. Datt. die, Mensis, Anno.

Ego N. Actuarius. mppr.

6. Quod si Judici visum fuerit Reum torquendum fore ad fatendam veritatem, in gravioribus præsertim Causis, tunc mutandis mutatis, Decretum Torturæ formandum erit. Ego autem parco, id statui Religioso conforme, putans, nisi in gravissimis Casibus, in quibus remitto amicum Lectorem ad Patrem Ludovicum ab Ameno, Parte secunda à principio hæc omnia fusissimè tractantem multō tractū.

Praxis acceptandi Defensiones.

7. Anno, Die, Mensis. Eodem loco comparuit coram A.R.P. Provinciali Fr. N. Reus qui supra, & gratiis actis de

De Praxib. conceden. Reo defens. de Jure debit. 209
de ablatione sibi termini defensionis, ac Patroni concessio-
nis omnia acceptavit, & in Patronum suum nominavit R.
P. N. Lectorem, vel quem elegerit scribatur, cuius nominatio-
nem A.R.P. Provincialis approbavit, & eundem Patrem N.
in Patronum præfato Fratri N. indulxit. Acta sunt hæc die &c.

Ego Fr. N. Acceptavi, & nominavi
ut supra. mppr.
Ego N. Minister Provincialis,
mppr.
Ego N. Actuarius. mppr.

8. Consequenter vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali Pr. N. Theologus &c. cui fuit significatum, quem admodum Fr. N. cum elegerit sibi Patronum suæ Causæ, quæ contra eum actitatur, & fuit interrogatus, an tale munus acceptet, quo respondente affirmativè, A.R.P. Provincialis exegit ab eo Juramentum de fideliter ad normam Juris exercendo suo Officio, quod præstitit, tacto pectore more Sacerdotali. Cui proinde A.R.P. Provincialis copiam Actorum confignare demandavit. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Accepto & juro,
prout supra mppr.
Ego N. Minister Provincialis
mppr.
Ego N. Actuarius mppr.

9. Quia verò plerumq; contingit, præsertim circa Confessos & sufficienter convictos, quod suis defensionibus renuntient, & se committant pietati Superiorum ac clemencie, quo facto utiq; pro contrito corde suo merentur indulgentiam. Hinc in tali casu ita procedi debet.

Pars II.

Cc

10.

10. Anno, Die, Mensis, Locô eodem comparuit coram A.R.P. Ministro Provinciali Fr. N. Reus, & dixit se gratias agere pro beneficio sibi indulto defensionis, & concessionis Patroni, in Causa contra ipsum actitata, se tamen sponte & liberè omnibus illis renuntiassse ac se remittere pietati ac misericordiae A.R.P. Provincialis, illorumq: omnium ad quos pertinet. Cui Pr. Provincialis respondit se nolle talem renuntiationem acceptare, sed velle, ut Reus se defendat, modô quô possit, seq; in Causa alleviet. Qui ubi iterum iterumq; persistit in sua renuntiatione, ac commissione sui ipsius in pietatem & misericordiam A.R.P. Provincialis. Tandem A.R.P. Provincialis eam si & inquantum acceptavit prævia protestatione, quòd velit potius, ut se Reus defendat: Insuper concedendo eidem tempus deliberationis, assignavit dies tres, intra quorum spatium, si Reus se voluerit defendere, proinde erit ac si hodie nullam Renuntiationem proposuisset, & se defendere illi liberum erit. Acta sunt hæc die, Mensis, Anno, ut supra.

Ego Fr. N. Recuso ut supra.

Ego Fr. N. Minister Provincialis
mppr.

Ego Fr. N. Actuarius mppr.

C A P U T XXXIV.

Praxes Sententiarum.

S U M M A R I U M.

1. Praxis Sententiæ absolvitoriae Rei à Judice inventi omnino innocentis.

2. Quod si Definitores concurrant ut Conjudices, se subscribant.
3. Praxis Sententiæ absolvitoriae, quando Reus citatus suam innocentiam manifestè probavit.
4. Si Reo absente Sententia proferatur, publicatio Sententiæ seorsivè inferius adnotanda erit.
5. Reo præsente latâ Sententiâ, publicatio ipsius in eadem Sententiâ erit adnotanda eô modô, quo supra.
6. Praxis Sententiæ Rei nec plenè convicti nec confessi ad pænam arbitriam.
7. Praxis Sententiæ Condemnatoriæ Rei per Testes legitimè convicti.
8. Ubi verò propter circumstantias aggravantes augenda est pæna, quomodo procedendum?
9. Quod si circumstantiæ alleviationem svadeant, hoc modô.
10. Praxis Sententiæ Condemnatoriæ Rei in Casu Notorii.
11. Praxis Sententiæ Condemnatoriæ Rei contumacis.
12. Praxis Sententiæ Absolvitoriae tam Rei quam Accusatoris.
13. Praxis Sententiæ Absolvitoriae Rei, & Condemnatoriæ Accusatoris.
14. Praxis Sententiæ formandæ in Causa Exceptionis.
15. Quod si Causa Exceptionis nec plenè, nec semiplenè sit probata, hoc modo procedatur.
16. Si dénum Exceptor exceptionem probaverit, sed Exceptus probationem evacuavit, Excipiens non erit puniendus.
17. In Exceptione Civili Causa non probata, est absolvendus nulla facta mentione in Decreto Excipientis.

18. Praxis Sententiæ ferendæ ab Arbitris in Casu recusationis Judicis.
19. Ubi Causa Recusationis saltim semiplenè probatur, aliter procedendum.
20. Modus procedendi in hoc Casu.
21. Antecedenter ad hanc Sententiam debet Judex, à quo appellatur, sufficienter audiri.
22. Praxis Sententiæ Interlocutoriæ cùm Reus excipit contra Actorem vel Testes.
23. Praxis Decreti quo Judex concedit dilationem temporis.
24. Praxis Sententiæ dandæ à Judice ad quem, super Appellatione interposita ab Interlocutoria.
25. Velsi à Delegato ad Provincialem fuerit evocata Causa,
26. Quod si Commissarii ex Vicinioribus Provinciis fu-erint instituti.
27. Praxis Sententiæ in casu frivolare Apellationis.
28. Praxis Sententiæ in Causa Apellationis frivolare à Sententia Definitiva.
29. Quod si Appellatio subsistat, & Sententia infirmetur ex his, quæ hucusq; dicta sunt, patet norma formandæ Sen-tentiæ.

Praxis Sententiæ absolvotoriæ Rei à Judice inventi omnino innocentis.

In Nomine Domini, Amen.

1. Nos Fr. N. Minister Provincialis Provinciæ N. ac Ju-dex Ordinarius. Visis ac diligenter discutisis omni-bus & singulis in Causa & Causis coram Nobis actitatis, con-tra Fr. N. signanter de & super Crimine [hic ponatur corpus delicti

delicti hoc est Crimen super quo versabatur Inquisitio) postquam non segniter, sed accurate in Praesentia Patris N. Actuarii à Nobis ad hoc deputati, processimus, multis hunc in finem exhibitis Testibus veritatem scire cupientes, ubi ex eorum Testium exa-mine Nobis abundè innotuit nedum prædictum Fratrem N. præfatum Crimen non perpetrasse, imò ipsum vitæ inculpatæ invenimus. Hinc DEUM solum præ oculis habendo, prævio peritorum vel Definitorii consilio, declaramus, pronuntiamus, & definitivè sententiando decernimus Fratrem N. nullate-nus fuisse repertum culpabilem (deponatur delictum, de quo factus Processus) nec de Jure punibilem, ast è contra plenè innocentem. Quapropter eundem Fratrem N. uti innocen-tem omnino absolvimus, & ab observatione Judicij libera-mus, ac pro absoluto penitus liberato, ubiq; omni loco & tempore haberi volumus & mandamus, Causæq; huic per-petuum silentium imponimus. Sic dicimus, pronuntiamus, & sententiamus, non solum hōc, sed & omni aliō meliori modō, viā & forma, quibus de Jure possumus, & valemus. Ita pronuntiavimus, & Sigillō Nostrō muniri fecimus, Die N, Mensis N. Annō N. in Conventu N.

Fr. N. Minister Provin-
De Mandato A.R.P. { L.L. } cialis. mppr.
Provincialis.
Fr. N. Actuarius.

mppr.
2. Quod si Definitores concurrant ut Conjudices, suas manus addicere debent subscriptioni Provincialis.

Fr. N. Definitor Provinciae mppr.
Fr. N. Definitor Provinciae mppr.

Praxis Sententiæ absolvotoriæ, quando Reus cita-tus suam Innocentiam manifeste probavit.

In

In Nomine Domini, Amen.

3. NOS Fr. N. Minister Provincialis Provinciae N. ac JJUDEX Ordinarius. Visis ac diligenter discussis omnibus & singulis in Causa & Causis coram Nobis actitatis, contra Fratrem N. accusatum vel denuntiatum vel indiciatum, signanter verò de & super eo, ac si prædictus Fr. N. (*hic exprimitur corpus delicti*) discussis & expensis omnibus contra ipsum probationibus, ipso etiam Fr. N. Reo sufficienter auditò ejusq; depositionibus, nec non adductis in contrarium probationibus, quibus etiam omnia indicia evacuavit. Solum DEUM præ oculis habentes, per hanc nostram Definitivam Sententiam declaramus ac dicimus, præfatum Fr. N. nullatenus in præfato delicto fuisse repertum culpabilem, aut aliqua animadversione dignum, imò suam innocentiam plenè probasse. Quapropter ipsum uti innocentem in hac Causa absolvimus, & mandamus, atq; Causæ huic perpetuum silentium imponimus, sic dicimus, sententiamus, non solum hâc, sed & omni aliâ viâ & modô, quibus de Jure possumus, & valemus. Ita pronuntiavimus, & Sigillô Nostrō muniri fecimus. Die N. Mensis N. Anno N. in Conventu N.

De Mandato A.R.P. (L. S.) Fr. N. Minister Provincialis.

lis. mppr.

Provincialis.
Fr. N. Actuarius.

mppr.

4. Demum publicata fuit Die N. Mensis N. Anno N. in Conventu N.

Ego Fr. N. Actuarius. mppr.

5. QUOD si Reus sit præsens Sententiæ latæ & in continentali quo lata fuerit Sententia, etiam ipsi Reo publicetur Sen.

Sententia, ad finem componenda erit eo modo, quo sequitur.

6. Praxis Sententiæ condemnatoriæ Rei ad pænam arbitriam, quando nimirūm Reus neq; confessus est suum delictum, neq; delictum manet plenè probatum, adsunt tamen indicia sufficientia contra illum & semiplena probatio.

In Nomine Domini, Amen.

NOS Fr. N. Minister Provincialis Provinciae N. ac JJUDEX Ordinarius. Visis ac diligenter discussis omnibus ac singulis in Causa & Causis coram Nobis actitatis, contra Fratrem N. signanter & super [*hic ponatur delictum de quo fuit Processus*] de quo præfatus Fr. N. fuit infamatus & inquisitus, nec non mature consideratis Testium depositionibus contra prædictum Fratrem N. super memorato Crimine, ipsoque citato & interrogato, ac sufficienter audito, in omnibus suis defensionibus, habitoq; super hoc Definitorum vel peritorum Consilio, vel si Definidores concurrunt ut Conjudices, habitoq; super hoc RR. PP. Nostri Definitorii consilio & assensu. Solum DEUM præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam Sententiam dicimus, pronunciamus & declaramus Fratrem N. licet non confessum, nec plenè convictum, nihilominus tamen gravissimè fuisse indiciatum & repertum culpabilem [*ponatur hic Crimen juxta indicia & probationes in Processu existentes*] proinde esse verè de Jure punibilem, pænâ aliquâ ad Nostrum arbitrium illi à Nobis imponenda. Quapropter condemnamus illum ad pænam [*ponatur hic pæna eidem taxata*] Reservantes Nobis Jus & potestatem, dictam pænam moderandi, si & inquantum Nobis in Domino ita visum fuerit, sic dicimus & sententiamus, non solum hoc, sed & omnî aliò meliori modô, viâ & formâ,

qui.

quibus de Jure possumus ac valemus, lata, lecta, & publicata fuit. Die N. Mensis N. & Anno N. ut supra.

De Mandato A.R.P. (L.S.) Fr. N. Minister Provincialis, qui supra. mppr.
Provincialis.
Fr. N. Actuarius.

mppr.

Praxis Sententiæ Condemnatoriæ per Testes
legitime convicti.

In Nomine Domini, Amen.

7. NOs Fr. N. Minister Provincialis Provinciæ N. & Ju-
dex Ordinarius. Visis ac diligenter &c. ut *supra usq;*
ibi, solum DEUM pre oculis habentes, per hanc nostram defi-
nitivam Sententiam, dicimus, pronuntiamus, & declaramus
Fratrem N. per Testes integros remanere plenè convictum,
quod tale Crimen commiserit (*hic exprimatur delictum cum
omnibus suis circumstantiis.*) Quapropter ut delicta meritò
plectantur supplicio, ipsum juxta Ordinis Nostræ Statuta
condemnandum esse judicavimus. Prout invocato Christi
Nomine eundem defacto condemnamus ad pænam, (*hic ex-
primatur pæna Statutaria, quæ assignatur Reo pro delicto.*) Re-
servantes Nobis Jus & Potestatem &c. ut supra immediate.

8. Ubi verò propter circumstantias aggravantes augenda
foret pæna, hōc modō procedendum erit.

In Nomine Domini, Amen.

NOs Fr. N. &c. usq; ibi, solum DEUM pre oculis habentes,
dicimus, pronuntiamus, & declaramus Fratrem N. esse
plenè convictum, *sive etiam ubi & ipse Reus sit confessus suum
delictum, esse confessum & plenè convictum de Crimine vide-*
licet

licet (*hic ponatur Corpus delicti, seu Crimen, de quo est proces-
sus*) proinde incidisse in pænas latas à nostris Constitutio-
nibus contra sic delinquentes. Quia verò solitus est delin-
quere in hac specie delicti (*vel assignetur alia causa, ob quam mere-
atur augmentum pænae*) ideo Statutarium pænam esse sibi au-
gendam declaramus, proinde ipsum condemnamus) *hic po-
natur pæna taxata* Reservantes Nobis Jus & Potestatem di-
ctam pænam moderandi &c ut supra.

9. Si autem adsint circumstantiae diminutionem pænae Sta-
tutariæ svadentes, tunc hōc modō formetur Sententia.

In Nomine Domini, Amen.

NOs Fr. N. usq; ibi: Proinde incidisse in pænas latas in
Nostris Statutis contra delinquentes (*& demum hoc modo
complere Sententiam.*) Quia verò sponte confessus est suum deli-
ctum, & remisit se pietati Patris Provincialis, sive PP. Defini-
torii (*sive alia causa, diminutiva pænae apponatur,*) ideo tem-
perando aliqualiter pænae Statutariæ rigorem, declaramus.
&c. Proinde condemnamus ipsum in pænam &c. ut supra.

10. Praxis Sententiæ Condemnatoriæ in Casu No-
torii.

In Nomine Domini, Amen.

NOs Fr. N. &c. usq; ibi: Dicimus, pronuntiamus, & decla-
mus, notorium esse, quod Fr. N. sit reputatus culpabi-
lis, eo quod notorium commisit (*ponatur hic delictum cum
omnibus suis circumstantiis.*) Quapropter ipsum esse ex hac
causa in pænam Statutarium condemnandum, prout defacto
ipsum invocato Christi Nomine condemnamus ad pænam
&c. ut supra N. 8.

11. Praxis Sententiæ Condemnatoriæ Rei contumacis,
comparere, aut respondere sine justa causa nolentis,
& aliunde jam per Testes convicti.

Pars II.

Dd

In

In Nomine Domini, Amen.

NOs Fr. N. Minister Provincialis Provinciæ N. ac Judex Ordinarius, Visis ac diligenter discussis in casu & Causis coram Nobis actitatis, contra Fratrem N. signanter verò de & super (*ponatur hic delictum, de quo fuit processatus*) de quo præfatus Fr. N. fuit accusatus sive denuntiatus, sive infamatus, nec non diligenter consideratis omnibus & singulis inditiis & probationibus coram Nobis factis, in Processu contra præfatum Fratrem N. considerando insuper, quod ad comparendum coram Nobis legitimè citatus non comparuerit, nec quidem post monitorium Nostrum legitimè eidem sub pænis in illo contentis intimatum, cum termino præfixo, ac demum ad octiduum dilatato. Visis insuper omnibus vindendis atq; consideratis considerandis, habitò quoq; super hoc peritorum consilio, vel R.R. P.P. Diffinitorii assensu, solum DEUM præ oculis habentes, invocato Christi Nomine, per hanc nostram definitivam Sententiam, dicimus, declaramus, & sententiamus, Fratrem N. esse Reum (*ponatur delictum, de quo sufficienter probatus aut indicatus est in Actis*) & per suam contumaciam pro confesso habendus, atq; pro hoc esse verè de Jure culpabilem, & punibilem, & pænas proportionatas incurrisse, declaramus & sententiamus. Quapropter commensurando pænas delictis, condemnamus ipsum (*hic ponatur pæna decisâ*) decernentes pænam prædictam ipsum afficere post lapsum trium dierum à publicatione præsentis Sententiæ numerandorum, nisi intra ipsos comparuerit, quibus elapsis, & si comparuerit, & nullam causam suæ contumaciæ, vel absentiae adduxerit, pænam supradictam subire cogatur, cuius temperationem Nobis (*& si Definitorium intervenerit, addatur*) de Definitorii Nostri consilio & assensu reservamus. Sic dicimus, sententiamus non solum hoc, sed & omni alio &c. ut supra.

12. Praxis Sententiæ absolvitoriaæ tām Rei, quām Accusatoris.

In Nomine Domini, Amen.

NOs Fr. N. &c. usq; ibi: per hanc nostram definitivam Sententiam dicimus: prædictum Fratrem N. accusatum de memorato Crimine, nullo modo Crimen commisisse, sed & Nobis esse repertum omnino innocentem, *vel non fuisse repertum culpabilem, & suam innocentiam plenè probasse, vel non fuisse plenè probatum culpabilem.* Proinde ipsum tanquam innocentem, *vel proinde ipsumstantibus rebus, prout stant, absolvimus, ac pro absoluto, & penitus liberato ubiq; omni loco & tempore haberi volumus, ac mandamus.* Dicimus pariter Fratrem N. Accusatorem concludenter probasse, se non malo dolō, nec animo calumniandi prædictum Fratrem N. accusasse, cum de tali Crimine publicam esse vocem & famam constare fecit (*sive alia ponatur Causa ob quam Accusator deficiens in probationibus liberatur à pana talionis.*) proinde ipsum etiam absolvimus, & pro absoluto ac penitus liberato ubiq; omni loco & tempore, haberi volumus ac mandamus. Sic dicimus, sententiamus, non solum hoc, sed & omni alio meiori modō &c. prout supra N. 3.

13. Praxis Sententiæ absolvitoriaæ Rei, & condemnatoriæ Accusatoris.

In Nomine Domini, Amen.

NOs Fr. N. &c. usq; ibi: per hanc nostram Sententiam definitivam, dicimus: prædictum Fratrem N. accusatum de præmemorato Crimine, nullo modo tale Crimen commisisse, sed à Nobis esse repertum omnino innocentem, *vel non fuisse repertum culpabilem, & suam innocentiam plenè probasse, vel non fuisse plenè probatum culpabilem.* Proinde ipsum tanquam in-

nocentem, vel proinde ipsumstantibüs rebüs (prout hant) absolvimus, ac pro absoluto & penitus liberato, ubiq; omni loco & tempore haberi volumus, ac mandamus. Dicimus pariter Patrem N. Accusatorem, non probasse se non esse Calumniatorem, quin potius manifeste constare, quod ipse malo animo processerit, & in probatione penitus defecit. Ipsum proinde esse detractorem, & calumniatorem, per hanc nostram definitivam Sententiam declaramus, & uti talem ad pænam talionis juxta Legis præscriptum, & Ordinis Nostræ Statuta, condemnamus, videlicet *[hic exprimitur pæna assignata Accusatori deficienti]*. Sic dicimus, sententiamus, non solum hoc, sed & omni alio meliori modo, via & forma &c. ut supra n. 3.

Ubi verò pæna Statutaria foret aggravanda vel minuenda, tunc videre expedit Praxes & modos supra tractatos n. 8. & n. 9.

Praxis Sententiae formandæ dum proceditur
per viam Exceptionis.

In Nomine Domini, Amen.

14. **N**O^s Fr. N. Provinciæ N. Minister Provincialis, sive Commissarius Generalis in Causa & Causis coram Nobis actitatis, contra Patrem N. signanter de & super eo, quod ipse nequeat eligi ad munus Provincialatus, seu Definitoratus propter rationes & causas contra ipsum militantes, propositas Nobis à Pr. N. præfatum Patrem N. Excipiente, mature etiam consideratis Testium depositionibus, ipsòq; qui excipitur citatō & sufficienter auditō, in omnibus suis defensionibus, dicimus probatum concludenter remanere, à P. N. Exceptore, impedimentum Canonicum, propter quod instituit Pr. N. repellere ab electione, sive confirmatione in Officio Provincialis, sive Definitoris, nempe quod dictus Pr. N. con-

tra

tra quem proposita fuit Exceptio, commiserit (exprimatur delictum, vel si ex defectu Corporis contra illum procedatur, dicitur quod ipse sit, in hoc vel in hoc notatus & vitiatus) ob quod ad Juris communis & Legis Nostræ præscriptum, ipse P. N. redditur ineligibilis ad Prælaturas, & Officia Ordinis. Quapropter declaramus, non posse eligi ad Officium (exprimatur quod) & si jam fuit electus, & Electionem esse ipso Jure nullam; & sic eligentes privari pro hac vice, jure eligendi ipso facto, juxta Sacrorum Canonum præscriptum pronuntiamus, sic dicimus &c. ut supra,

15. Si autem Causa Exceptionis nec plenè nec semiplenè probatur, & Exceptio sit proposita criminaliter juxta dicta Cap. 15. n. 7. poterit Sententia formari hoc modo.

In Nomine Domini, Amen.

NO^s Fr. N. ut supra N. usq; ibi: & sufficienter auditio in omnibus suis defensionibus; tandem scribatur. Dicimus nec plenè, nec semiplenè probatum remanere Patrem N. hoc Crimen commisisse, ratione cuius fuit proposita Exceptio, nempe quod *[hic exprimatur corpus delicti]* Quapropter dicimus, & declaramus prædictum Patrem N. nullo impedimento Canonico detineri, quo minus eligi possit, sive confirmari in Officio (ponatur Officium à quo excipitur) Dicimus pariter Patrem N. Exceptorem, quia exceptivam Causam non probavit, prout de Jure tenebatur, ad Normam Nostrorum Statutorum, pænae nobis arbitrariæ subjiciendum manere. Quapropter eum condemnamus ad pænam *[hic exprimatur pæna]* ut supra n. 13.

16. Quod si Exceptor exceptionem probaverit, sed Exceptus probationem evacuavit, & ideo Exceptor non maneat puniendus, sicut nec Accusator semiprobans punitur, formetur Sententia hoc modo.

In

In Nomine Domini, Amen.

NO^s Fr. N. &c. usq; ibi: *Dicimus pariter Patrem N. Exceptorem, & hoc modo prosequitur, quantum est ex se semiplene probasse exceptionem Causæ, quamvis ipsius probatio contrariis defensionibus Excepti fuerit expugnata. Proinde judicamus & sententiamus præfatum Patrem N. Exceptorem nulli pænae esse obnoxium, & penitus esse absolvendum, prout ipsum ut præfertur absolvimus, & absolutum sententiamus. Sic dicimus & sententiamus, non solum &c. usq; ad finem, prout videre est n. i.*

17. **U**bi autem Exceptio proposita manet civiliter, Causa non probata, debet absolvvi Exceptus, sed nulla facienda est mentio Excipientis, in probationibus deficientis.

Praxis Sententiæ ferendæ ab Arbitris in Casu
recusationis Judicis.

18. **N**O^s Fr. N. Ordinis N. &c. & Fr. N. Ordinis N. &c.
*N*exprimatur Nomen, Cognomen, Dignitas, Officium, sive quo actu fungitur unusquisq; illorum, sive quo functus sit. Arbitri Juris electi, & respectivè à Partibus destinati ad sententianum in Causa recusationis in Judicem factæ à Fratre N. Reo prætenso, de Persona A.R.P. N. Ministri Provincialis Provinciæ N. sive R. Patris Commissarii Delegati, examinatis Testibus & probationibus, hinc inde productis, & pluries auditis Partibus pro & contra informantibus, plenèq; discussis Causæ meritis. DEUM solum præ oculis habentes, dicimus, declaramus, pronuntiamus, nullo modo nec plenè nec semiplenè constare de Causa assertæ recusationis, scilicet (*hic ponatur Causa recusationis*) Proinde sententiamus prædictam Recusationem nullius esse valoris, & per eam nullomodo impediri Auctoritatem Ordinariam præfati A.R.P. N. quo mi-

nus

nus Causam contra Fratrem N. Recusantem inceptam, sive incipiendam prosequatur. Ita pronuntiamus Die N. Anno N. in Conventu N.

Ego N. Arbiter mppr.
Ego N. Arbiter mppr.
Ego N. Actuarius mppr.

19. **S**i verò Causa Recusationis fuerit saltim semiplenè probata, hoc modo erit sententiandum.

In Nomine Domini, Amen.

20. **N**O^s Fr. N. Ordinis N. ut supra immediate usq; ibi DEUM solum præ oculis habentes (*postea subjungatur*). Dicimus sufficienter constare de Causa assertæ Recusationis. Proinde sententiamus prædictam Recusationem, ut potest legitimam in Jure & facto sustineri. Dicimusq; præfatum A.R. Patrem N. Provincialem debere à prosecutione, sive inceptione Causæ contra Fr. N. Recusantem abstinere, sed teneri eum ad Superiores remittere, vel alium Judicem non suspectum de consensu ejusdem Fratris N. Recusantis ad Causam memoratam delegare. Ita pronuntiamus. Nos qui supra, Die N. Mensis N. Anno N. in Conventu N.

Ego N. Arbiter. mppr.
Ego N. Arbiter. mppr.
Ego N. Actuarius. mppr.

21. **A**dvertendum est, quod antequam hujusmodi Sententia feratur, debet primo Judex, qui recusatur audi ri & admitti ad proponendum contra probationes Rei recusantis. Postquam itaq; Arbitrii examinaverint Testes & alia à Recusante producta, debent monere Judicem recusatum, ut si vellet aliquod proponere in oppositum contra Recu-

fan-

santem, illud proponat. Qui Judex si nihil velit proponere, seu opponere, tunc demum Arbitri poterunt descendere ad ferendam Sententiam. Quod si Judex visis Actis velit respondere, debet contrarias rationes in scripto exhibere. Et si adducat aliquem Articulum facti, ad cuius probationem assignat Testes, debent Arbitri illos citare & examinare, quibus nonnisi examinatis cæterisq; omnibus discussis, tandem descendant ad ferendam Sententiam.

Praxis Sententiæ Interlocutoriæ cùm Reus excipit contra Actorem & Testes.

In Nomine Domini, Amen.

22. Cum de proprietatis vitio [sive quodpiam aliud] accusatus vel denuntiatus fuerit Fr. N. ipse verò contra Fratrem N. Accusatorem, sive Testem exceperit, quòd infamis esset ex eo, quòd alias fuerit de falsitate convictus & punitus [vel alia causa Exceptionis adducatur] idq; certò Nobis constare fecit, ac simul institerit, ut justitiam super hoc nequaquam sibi denegaremus. Nos Fr. N. Provinciæ N. Minister Provincialis attentes Exceptionem proposi- tam veram esse, sufficienterq; probatam, de Consilio peritorum, prædictum Fr. vel prædictos FF. N. & N. tanquam infames ab accusando [sive àferendo Testimonio] repellendum esse duximus [sive repellendos esse duximus si sint plures] prout præsenti Decreto, sive Interlocutoria Sententia repellimus, atq; illegitimum & inhabilem [sive illegitimos & inhabiles] declaramus, & propterea præfatum Fr. N. propter dictam accusationem [vel propter eorum Testimonium] minimè fatigandum. Idq; non solum prædicto, sed & omnī alio meliori modō

modo viâ & formâ, quibus de Jure possimus & valemus. Acta sunt hæc in Conventu N. die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
mppr.

Ego Fr. N. Actuarius mppr.

23. Praxis Decreti, quo Judex concedit dilatationem Temporis.

In Nomine Domini, Amen.

Cum Fr. N. à Nobis instanter petierit, ut sibi longius aliquod temporis intervallum assignare vellemus, quo innocentem se à calunnia probet, de qua apud nos se dicit accusatum. Nos Fr. N. Minister Provincialis, attentes, quòd justa potentibus non sit denegandus assensus, aliunde ipsi concessum tempus ad Mensem prorogamus, intra quod ut omnia, quæ ad sui defensionem proferre potest, & vult, quatenus omnino producat præcipimus, & mandamus, eo alienum transacto ad definitivam Sententiam processuri. Sic interloquendo dicimus, ac pronuntiamus, non solum hōc, sed omnī aliō meliori modō, viâ ac formâ, quibus de Jure possimus & valemus. Acta sunt hæc in Conventu N. Die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
mppr.

Ego N. Actuarius mppr.

24. Praxis Sententiæ dandæ a Judice, ad quem, super Apellatione interposita ab Interlocutoria.

In Nomine Domini, Amen.

In Causa Apellationis interpositæ à Fr. N. super Decreto Par; II. Ee Inter-

Interlocutorio lato per A.R.P. Ministrum Provincialem N. Provincie N. prout latius in Actis continetur. Visis Causis per praedictum Fratrem N. Apellantem productis, visis pariter & mature consideratis Testium depositionibus, rationibus, Scripturis, & aliis documentis à memorato Apellante productis, visis tandem omnibus videndis, & consideratis considerandis, ac ad ultimum per pensis perpendendis. Nos Fr. N. ac Judex Ordinarius, Christi Nomine invocato, DEUMq; solum præ oculis habentes, ut de ipsis vultu Judicium nostrum procedat, per hanc nostram Sententiam, quam in his scriptis fecimus, dicimus apellationem interpositam in Jure & facto esse legitimam, & præmemoratum A.R.P. Provincialem male esse interlocutum. Quapropter Sententiam illius interlocutoriam circumscribimus & revocamus, Causamq; principalem ad Nos ex integro evocamus, & inhibemus prædicto A.R.P. Provinciali, ne amplius in præmemorata Causa se immisceat. Ita pronuntiamus & sententiamus. hac die N. Mensis N. Anno N. Loco N.

Ego Fr. N. Minister Generalis,
mppr.

25. Vel si à Delegato ad Ministrum Provincialem evocata fuerit Causa.

Ego N. Minister Provincialis.
mppr.

26. Vel si demum Commissarii ex vicinioribus Provinciis fuerint destinati.

Ego Fr. N. Commissarius Delegatus
mppr.

Ubi verò Apellatio inventa fuerit à Judice, ad quem appellatur non subsistens. Sententia hoc modò formanda erit.

27. In Causa Apellationis interpositæ &c. ut supra immediatè usq; ibi: Per hanc nostram Sententiam, quam in his

his scriptis ferimus (scribatur deinceps). Dicimus Apellationem interpositam non subsistere, & non sustineri, ac bene à præfato A.R.P. Provinciali esse interlocutum, & male ab Apellante fuisse appellatum, proinde Causam prout de Jure terminandam ad A.R.P. Provincialem remittimus. Ita pronuntiamus & sententiamus, die N. Mensis N. Anno N. ut supra juxta qualitatem Judicis ad quem fuit appellatum.

Quod si Judex à Quo, apellationem de Jure non admittendam admiserit, licet Judex ad Quem, declareret Apellationem non sustinendam; non debet tamen ipsam Causam terminandam ad Judicem à Quo, remittere, & hoc in pænam suæ sive ignorantiae sive negligentiae, deferendo Apellationi cui de Jure deferre non debebat, sed tantum Apostolos Refutatorios dare, prout suô loco de Apellatione satis diximus.

Praxis Sententiæ dandæ in Casu Apellationis a Sententia definitiva.

In Nomine Domini, Amen.

28. NOS Fr. N. (hic exprimatur Judicis Nomen, Cognomen & Officium) ac Judex Ordinarius. Visis ac diligenter consideratis omnibus & singulis in Causa & Causis discussis, coram A.R.P. Ministro Provinciali Provinciae Nostræ N. contra Fratrem N. inquisitum sive denuntiatum, sive accusatum, de (hic exprimatur delictum) Visis item omnibus productis in Jure & facto, in favorem prædicti Fratris N. Visâ pariter Sententiâ definitivâ contra ipsum latâ per A.R.P. Provincialem, sive per Definitorium ejusdem Provinciae. Si à toto Definitorio fuerit Causa judicata. Visâ tandem Apellatione ad Nos interposita, Juribus, Causis, ac probationibus coram Nobis productis ad ipsam sustinendam, consideratis,

ac mature perpenſis, & plenè discussis totius Causæ meritis, auditoq; Consilio Patrum peritorum ad hoc assumptorum. Viſis tandem omnibū videndis, & consideratis consideran- dis, invocato Christi Nomine, per hanc nostram definitivam Sententiam, quam in his scriptis ferimus. Dicimus & pro- nuntiamus prædictum Patrem N. vel *Definitiorum* bene ju- dicasse & sententiaſſe, proinde præſatam Sententiam confir- matimus, & præmemoratum Reum, tanquam male & temere appellantem, ad normam Statutorum Ordinis pænā dupli- cā multandum censiuiſus, quemadmodum illum ad eundem duplum condemnamus. Ita pronuntiavimus Nos, qui ſupra. In Conventu N. Die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis.

^{mppr.}
Ego N. Actuarius. mppr.

29. Quod si Apellatio ſuſtineatur & Sententia infirmatur Q ex his, quæ immeditè dicta ſunt, facile patet modus formandæ Sententiæ.

C A P U T XXXV.

Praxes Apellationum & priuò à Senten-
tia Interlocutoria, vel gravamine extra-
Judiciali.

S U M M A R I U M .

1. Praxis Apellationis à Sententia Interlocutoria, ſive gravamine Extra-Judiciali.

2. Hanc Apellationem ſi Provincialis ut frivolam rejici- at, quid faciendum?

3. Si Apellans non acquiescat refutationi, quid facien- dum?

4. His prœmissis Apellatio debet admitti.

5. Praxis appellandi à Sententia definitiva.

6. Hanc Apellationem ſi Judex à quo, non acceptat, qualiter procedendum?

Ibidem. Praxis concedendi Apostolos Refutatorios.

7. Praxis Apostolorum Reverentialium.

8. Praxis Apostolorum Dimifforialium.

9. Praxis Apostolorum Testimonialium.

10. Vel alio modo, ſi detur aliam ob causam.

11. Iterum aliter.

12. Quod ſi Apellans non habeat ad manum duos Pa- tres graves, quid faciendum?

13. Similes Apostolos Testimoniales expedit ratificari ma- nu & ſigillo Notarii Eccleſiaſtici.

14. In quibus Terminis hujuscemodi Ratificatio debet compillari.

1. A R. P. Provincialis quia contra me tulisti Decretum vel Mandatum ut ſubeam pænam, ponatur hic tenor Decreti vel pæna injunctæ, per quod ego me ſentio injuſtè gravatum ex eo, quia (ponatur hic ratio gravaminis asserti) hinc cum omni humilitate & reverentia, non animo protel- landi Judicium, ſed me eximendi à gravamine & consulen- di indemnitatī meæ, apello à prædicto Decreto & gravami- ne, quod volo & inſto, ut rescindatur, aliter provoco ad Reverendissimum N. exprimatur ad quem apellat, & peto mihi providere de Apostolis instanter, instantius, & inſtan- tiſſime. Datt. in Conventu N. Die N. Mensis N. Anno N.

Ego Er. N. Apello. mppr.

2. Hanc autem Apellationem si Provincialis ut frivolum
Hrejiciat, subjugatur hōc modō.
Considerans A.R.P. Provincialis Causam Apellationis à su-
pramemorato Fr. N. Apellante productam, invenit illam
in Jure & in facto non subsistentem, quam proinde rejicit,
tanquam frivolum, & nullius valoris, & decrevit ea non ob-
stante ad ulteriora procedere. Quod Decretum cum fuisset
per me intimatum Fratri illi N. acquievit. Datt. &c.

Ego N. Actuarius. mppr.

3. Si verò Apellans non acquiescat, sed ulterius apellet,
scribatur.

Quod Decretum cum per me infra scriptum fuisset intima-
tum Parti, denuo à præsenti Decreto appellavit, & iterum
instituit, hanc Apellationem admitti, & iterum atq; iterum
petit Apostolos, idq; instanter instantius & instantissime.
Datt. in Conventu N. Die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Actuarius. mppr.

4. Et tunc ut dictum est suō locō, ubi de Apellatione Cap.
23. n. 50. debet Judex à Quo, Apellationem admittere,
& Apostolos saltim Refutatorios dare.

5. Praxis appellandi a Sententia Definitiva.

A R. P. Minister Provincialis. Cūm Die N. Mensis N. Anno
N. Loco N. lecta & intimata mihi fuerit Sententia, quæ
me ut Reum condemnans ad [exprimatur Sententia & pena]
per quod ego me enormiter gravatum sentio, hinc ab illa
Sententia & gravamine apello Judicem Superiorem N. &
Apostolos peto, instanter instantius, & instantissimè.

Ego Fr. N. apello, mppr.

6. Hanc Apellationem si Judex à Quo, non acceptat, po-
natur ut supra n. 2.

Pra-

Praxis concedendi Apostolos Refutatorios.

Cum coram Nobis appellaverit sub Die N. Mensis N. An-
no N. Fr. N. à Decreto, vel Sententia à Nobis prolata
contra ipsum Die N. Mensis N. Anno N. & Nos talem A-
pellationem & Causam ejus tanquam nullius valoris & fri-
volam rejicerimus & rejiciendam judicaverimus, prout defa-
cto iterum rejicimus, & tamen ille iterum à Decreto reje-
ctionis appellaverit, & Apostolos petierit, ipsos prout de Ju-
re ejus Apellationem & Causam refutantes concedimus, &
justitiam nostræ refutationis ad Reverendissimam Paternita-
tem, vel si Apellatio sit à Delegato ad Provincialem, ad A.R.
Paternitatem, & successive ad alios, prout de Jure remitti-
mus. Intendendo quòd per hoc Reum à Nostra Jurisdictione,
etiam in hac Causa minine dimittamus, sed eam ut de
Jure prosequi, & definire velle pronuntiamus. Datt. in Con-
ventu Nostro N. ad S. N. Die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis. mppr.

7. Praxis Apostolorum Reverentialium.

Cum coram Nobis appellaverit sub Die N. Mensis N. An-
no N. Fr. N. à Decreto vel Sententia à Nobis lata con-
tra ipsum Die N. Mensis N. Anno N. & Nos talem Apel-
lationem & Causam ejus, tanquam nullius valoris & fri-
volam rejicerimus, & rejiciendam judicaverimus, prout defa-
cto iterum rejicimus, & tamen ille iterum à Decreto Reje-
ctionis appellaverit, & Apostolos petierit. Quamvis hæc no-
va Apellatio Nobis frivola visa fuerit, tamen ob Nostram
Reverentiam erga Reverendissimam Paternitatem, & alios
ad quos appellare posset, prædictæ Apellationi duximus de-
ferendam, & defacto deferimus, petitosq; Apostolos Reve-
ren-

rentiales harum serie concedimus. Datt. in Conventu N.
Die N. Mensis N. Anno N.

Ego N. Minister Provincialis mppr.

8. Praxis Apostolorum Dimissorialium.

Cum in Causa (*ponatur hic delictum super quo fuit formatus Processus & Sententia lata*) de quo diffamatus, sive denunciatus, sive accusatus fuit Fr. N. Sententiam definitivam tulerimus, & à Nostra Sententia prædictus Fr. N. tempore & modo debito appellaverit, & provocaverit ad Reverendissimam Paternitatem. Nos apellationi hujusmodi deferentes ut par est, ipsum Apellantem à Nostro Judicio in hac Causa dimittimus, & eum cum Copia Actorum ad prædictum Reverendissimum Patrem N. remittimus. In quorum fidem præsentes Literas Dimissoriales manu propria subscripsimus.

Datt. in Conventu N. ad S. N. Die N. Mensis N. Anno N.

Ego Fr. N. Minister Provincialis
mppr.

9. Praxis Apostolorum Testimonialium.

Fr. N. Lector, & Fr. N. Prædicator (sive qui illi fuerint graves in Conventu Patres) Tenore præsentium omnibus & singulis has Literas inspecturis, pariter & lecturis, fidem facimus & testamur, qualiter Fr. N. Provinciæ istius N. Die N. Mensis N. Anno N. Coram nobis aliisq; intra tempus à Jure statutum non semel, sed iterum & tertius appellaverit à Decreto contra se interlocutorio lecto, sive à *Sententia definitiva* contra ipsum lata ab A.R.P. Ministro Provinciali, & ab eo repetitis vicibus instanter instantius & instantissime petierit Apostolos ad suam Apellationem prosequendam. Qui tamen eidem petenti ab A.R.P. Provinciali fuere negati. In quorum fidem has ei testimoniales Literas ab eo roga-

rogati, solo justitiæ & charitatis zelô ducti dedimus, & sub-signavimus. In Conventu N. Die N. Mensis N. Anno N.

Fr. N. Lector. mppr.

Fr. N. Prædicator mppr.

10. Vel aliò modò si dentur ob aliam causam.

Fr. N. Lector, & Fr. N. &c. usq; ibi: petierit Apostolos ad suam Apellationem prosequendam, quia tamen procrastinante & differente A.R.P. Provinciali, eidem dati non fuerant, quæ procrastinatio, & dilatio cum minus Canonica nobis visa fuerit, ne justitia patiatur, obnoxè rogati ab eodem Fr. N. hos Apostolos Testimoniales eidem concessimus. In quorum fidem &c. ut supra n. 9.

11. Fr. N. Lector & Fr. N. &c. ut supra N. usq; ibi: petierit Apostolos ad suam Apellationem prosequendam.

Qui A.R.P. Provincialis, cum de tali Apellatione se offensum ostenderet, & minacibüs verbis ipsam exciperet, timens sibi periculum Carceris, idem Fr. N. coram Nobis conqueritus fuit de tali injustitia, & à Nobis bis terve instanter peitiit, ut super prædictis eidem Apostolos Testimoniales concederemus. Quod videntes æquitati rationi & charitati congruere, maximè cum idem A.R.P. solitus sit suas comminationes exequi, proximi indemnitati consulentes hos Apostolos Testimoniales eidem Fratri N. rogati ab eo libenter concedimus. In quorum fidem &c. ut supra n. 9.

12. Quod si Reus non repererit duos Patres graves, qui illi vellent dare hujuscemodi Apostolos Testimonials, potest sufficere unus, sed in illo Casu, duo aliqui Patres permodum Testium subscribere hos Apostolos debent, quo perfectè probare valeant.

13. Expediens quoq; erit, ut tales Apostoli Testimoniales authenticentur ab aliquo Notario Ordinis quo constare possit illos esse verè datos ab his, quorum subscriptio-nes præferantur, quod hōc modō fieri poterit.

14. Suprascriptas subsignationes esse factas manu & chara-cteribus Patrum N. & N. ipsosq; esse tales, quales se subsignant & scribant, attestor hac Die N, Mensis N. Anno N.

Fr. N. Notarius. mppr.

C A P U T XXXVI.

Praxis integri Prōcessus usq; ad Sen-tentiam Definitivam inclusivè.

In qua Praxi ponitur pro exemplo Casus rixarum inter Fratres, & inde ortæ percussionis, de quo Cri-mine investigat Jūdex Ordinarius per viam famæ hoc modō prout seqvitur.

In Nomine Domini, Amen.

Tantum prōdest bono communi malorum correptio, quan-tum utilitatis adfert bonorum præmiatio. Nocet siquidem bonis, qui parcit malis. Quousq; eadem boni, malivè tenetur ratio, non habetur solida stabiliendi boni publici præparatio. Ubi scelera in victoria exultant, inde omnis pulchritudo vir-tutis exulat. Semper siquidem ad devia proclivis est, natura peccato.

peccato originali vitiata, quam nisi rectō guberniō manute-nere, debitaq; Justitiæ administratione, aut terrendo pænis, aut demulcendo præmiis, intra sui orbitam continere studeas, proclivis ad mala, in pessima ruet, totumq; bonum commune unā secum in baratrum præcipitationis abripiet. Hæc multaq; his similia sæpiùs meditando A.R.P. Justinus Sendziakowski Istitus Provinciæ Premisliensis Minister Provincialis, non satis se egisse pro bono publico invenit, ubi totus effusus in virtutis præmia (quō hiscè cæteros alliciat ad ejus pulchritudinis amorem) manet; nisi etiam fontes corripere perget incun-ctanter. Ubi igitur accepit à quibusdam gravibus & non malevolis Religiosis multopere diffamatum Fratrem Rixosum Zaczepialski de scandalosa imo (ut dicitur fama volante) etiam criminosa contentionē cum elevatione manūs contra quemdam Fratrem Constudentem, volens A.R.P. Provincialis suo muneri satisfacere & crimen, si quid commissum fuerit, sive debitū pænis, sive opportuna castigatione coértere, pa-cemq; optatam Conventui restituere, idq; conformiter ad præscriptum Sacrorum Canonum atq; Constitutionum Ordini-nis Nostri normam. Decrevit super fama prædicta inquirere, & prout de jure procedere. Proinde in Cameram suæ Residen-tiæ, in qua Ipse Tribunal erexerat vocari fecit me infrascri-ptum, idq; in præsentia R. P. Simplicii Zaſtuzyński Definitoris Habitualis & R P. Verecundi Boniakiewicz Præd. Generalis; Testibus ad hoc specialiter adhibitis. Atq; dato mihi Jura-mento de fideliter exequendo Officio quod & præstiti tacto pectore more Sacerdotali, me sibi in Notarium creavit, ut illi in hoc casu pro Actuario inservirem. Acta sunt hæc in Conventu Premisliensi Die 22. Martii 1773. Anno.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Simplicius Zaſtuzyński Defi. Hab. fui Testis mppr.

Ego Fr. Verecundus Boniakiewicz, Præd. Gen. fui Testis mppr.

Ego Fr. Accuratius Pisarski Actuarius. mppr.

Anno igitur 1773. Die 24ta Martii, accessit A.R.P. Provinialis ad Conventum Gniewoszoviensem, ubi à Superiore Locali, cæterisq; PP. & FF. benignè receptus, vocari fecit coram se & me infra scripto in Cameram suæ Residentiæ, ubi Tribunal erexerat, Patrem Mansvetum Prawdzicki Concionatorem Loci Ordinarium, ætatis Annorum 37. Religionis 15. (prout ipse dixit) Testem ex Officio assumptum, cui dato Juramento de veritate dicenda, quod & præstítit tactō pectore more Sacerdotali, factaq; debita præmonitione propositæ fuerunt Interrogationes, ut sequitur.

Interrogatus 1mō. An sciat causam suæ vocationis?

Respondit. Nescio.

Interr. 2dō. In quo Conventu, & à quo tempore maneat?

Resp. In hoc Conventu Gniewoszoviensi ex dispositione A. R. Paternitatis à Capitulo immediato maneo in Officio Prædicatoris.

Interr. 3tiō. An FF. in hoc Conventu commorantes exemplariter vivant?

Resp. Cœteri equidem ex Communitate laus Deo satis modesti, ast de Fr. Rixoso Zaczepialski male auditur in hoc Conventu.

Interr. 4tō. Quid mali dicitur de hoc Fratre?

Resp. Quod sit contentiosus nesciens pacifice vivere cum Fratribus.

Interr. 5tō. Quomodo id sciat?

Resp. De hoc publica est fama in Conventu.

Interr. 6tō. An sciat, quid sit fama publica?

Resp. Puto esse id, quod communiter dicitur de aliquo, sive in bonum, sive in malum.

Interr. 7mō. A quibus signanter audivit hoc?

Resp. A P. Læto Niewinnicki Lectore Morali, à Patre Adau-

cto

&to Rzetelnicki Confessario, quemadmodum & ab ipsius Constudentibus. uti à Cursio Przybyłowicz, Adjuto Dotarski, Cœterisq; Patribus & Fratribus hic cohabitabitibus publicè de hoc dis currentibus, quòd Frem Benignum Spokoynicki Constudentem suum sæviter percutserit in facie, cujus percussionis eosque manent signa.

Interr. 8vō. An Paternitas observaverit Frem Rixosum fore contentiosum?

Resp. Minimè, nam cum illo unà simul non soleo commorari, meo Officio continuo me in Cella detinente, quòd superest temporis à publicis & communibus Officiis.

Interr. 9ndō. An sciat à se nominatos Patres & Fratres esse inimicos vel adversarios Fratris Rixosi Zaczepialski diffamati?

Resp. Nescio, nec audivi illos esse contrarios sibi.

Interr. 10mō. An ea, quæ adduxit, odiò, vel aliqua passione detulerit?

Resp. Ego nolo gravare animam meam, deposui pro veritate, neque ego sum inimicus Fratris Rixosi, neque ille mihi quidquam nocuit, aut me in aliquo offendit.

Et cum lecto sibi per me Actuarium hoc suo examine, illi nil vellet addere, vel minuere, monitus de servando secreto suæ depositionis propria manu se subscriptis, & dimissus est. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 24. Martii Annō 1773.

Ego Fr. Mansvetus Prawdzicki, deposui ut supra. mppr.

Ita est. Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provin. mppr.

Ego Fr Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Eadem die 24. Martii Annō 1773. Idem A.R.P. Provinialis vocari fecit coram se & me infra scripto in Cameram suæ Residentiæ pro Tribunal erectam, Patrem Lætum Niewinnicki Lectorem Theologiæ Moralis, ætatis annorum 32, Reli-

Religionis 12. (prout ipse dixit) Testem ex Officio assumptum. Qui requisitus pro Juramento de veritate dicenda prout juravit tacto pectore more Sacerdotali.

Interrogatus 1mō. An sciat causam suæ vocationis?
Respondit. Conjicio aliqualiter.

Interr. 2dō. Quid putat sive conjicit Paternitas vestra?

Resp. Fortè ad dandum Testimonium de vita inquieta, & juriis Fratris Rixosi Zaczepialski.

Interr. 3tō. Quid inquieti, aut jurgiorum contigit Fri Rixosi Zaczepialski?

Resp. Continuò manet inquietus, quemadmodum & ad præsens Frem Benignum Spokoynicki atrociter alapisavit, cujus percussionis adusq; manet signum,

Interr. 4tō. Unde id Paternitati notum?

Resp. Quod attinet ejus inquietam vitam, id audivi à plerisq; passim coram me contra illum conquerentibus, quod verò spectat alapisationem Fratris Benigni Spokoynicki hoc factum est me præsente. Et de his omnibus est publica fama in Communitate, ita ut passim ab omnibus nominetur jurgiosus ac Fratris Benigni percussor.

Interr. 5tō. An sciat quid sit fama publica?

Resp. Nomine publicæ famæ puto intelligi, id quod passim dicitur à plerisq; de aliquo sive bono, sive malo.

Interr. 6tō. A quibus potissimum audivit, quòd Fr Rixosus sit inquietus & contentiosus?

Resp. A Patre Adacto Rzetelnicki Confessario, à Fratre Acurio Przybyłowicz, à Fre Adjuto Dotarski, & aliis plerisq; Patribus & Fratribus, quos interdum loeserat.

Interr. 7mō. An sciat præfatos à se nominatos esse inimicos vel adversarios Fris Rixosi Zaczepialski diffamati?

Resp. Nunquam audivi illos esse contrarios sibi, licet enim cum

cum plerisq; in hac Communitate contentiosus fuerit inventus, minimè tamen cum his, quos nominavi.

Interr. 8vō. Et qui sunt illi, cum quibus alias inventus est Fr. Rixosus contentiones habuisse?

Resp. Contentiosus inventus est Fr. Rixosus Zaczepialski cum Patre Jnnocentio Małecki, cum Fre Deodato Osobnicki, quemadmodum & cum Fratre Fideli Niewiadomski, & Fratre Servulo Studziński.

Interr. 9vō. An quæ Paternitas adduxit odio, vel aliqua passione detulerit?

Resp. Nil odii habeo, aut passionis contra Fratrem Rixosum Zaczepialski. Admonui illum aliquoties charitatè, & paternè, volens eundem ad meliorem frugem reducere. Ast parùm me video profecisse, inde tamen nulla moveor passione contra ipsum.

Et cum lecto sibi per me Actuarium hoc suo examine, illi nil vellet addere, vel minuere, prævia monitione de servando secreto suæ depositionis servato Jure vocandi eum denuò si opus fuerit propria manu se subscripsit, & dimissus est. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 24. Martii, Annō 1773.

Ego Fr. Latus Niewinnicki deposui ut supra. mppr.

Ita est. Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratius Pisarski, Actuarius. mppr.

Quibus in forma Juris habitis, si & in quantum acceptatis, Q.A.R.P. Provincialis pronuntiavit constare de fama. Atque ideo ad ulteriora prout de Jure procedere decrevit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 24. Martii 1773. Annō.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppa.

Ego Fr. Accuratius Pisarski Actuarius. mppr.

Con-

Consequenter A.R.P. Provincialis, volens certificari de corpore delicti, associatus à me infra scripto, & duobus pariter infra scriptis Testibus ad hoc specialiter vocatis & electis, se contulit ad visitandum corpus delicti. Accedens igitur ad Cellam Fratris Benigni Spokoynicki, vidit primò sub oculo sinistro teturum livorem per totam inferiorem palpebram, & modicam genae partem ad latitudinem duorum digitorum, in longum verò ultra digitum protensum. Secundò. Similem teturum livorem per superiorem quoquè palpebram licet paulò minus extensum, & protractum. Tertiò. Albumen oculi sanguine rubens. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviens, Die 26. Martii, Annō Dñi 1773.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Pius Gospodarski fui Testis. mppr.

Ego Fr. Serenus Dobrzynski, fui Testis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Post hæc A.R.P. Provincialis vocari ad se fecit me præsente Pad Cellam suæ Residentiæ ubi Tribunal exerat præfatum Frem Benignum Spokoynicki Theologiæ moralis Studentem, ætatis annorum 22. Religionis 5. (prout ipse dixit) cui dato Juramento de veritate dicenda, quod & præstítit tactis Libris S. Evangelii, sufficienterq; premonito sequentes proposuit Interrogationes.

Interrog. 1^o. Unde illi hujuscemodi in oculo sinistro livor?
Respondit. Ab alapa.

Interrog. 2^o. Quis ipsum alapisavit?

Resp. Frater Rixosus Zaczepialski.

Interrog. 3^o. Quo in loco?

Resp. In ambitu Conventū.

Interrog. 4^o. Qua de causa?

Resp. Ludebamus calculos, ego eram ex parte adversa, ubi igitur ab ipso jactus calculus aberravit à scopo, ego dixi: Fr. Ri.

Rixosus pulchrè scit dirigere calculos extra mensam, ipse autem illicò mihi alapam impegit dicens: & manus mea à tua bucca non aberravit.

Interr. 5^o. Quo tempore id factum?

Resp. Die 20. Mensis istius post prandium.

Interr. 6^o. Quibus præsentibus id contigit?

Resp. Fuit præsens M.V.Pr. Lector noster, Pater Adactus Rzetelnicki Confessarius, Fr. Accursius Przybylowicz, & Fr. Adjutus Dotarski Constudentes.

Interr. 7^o. An Fr. Rixosus Zaczepialski non fuit ad hoc instigatus ab aliquo?

Resp. A nullo ad hoc fuit motus, sed à sua passione, quæ ipsi est occasio sæpiùs jurgandi cum Fratribus.

Interr. 8^o. Qui sunt illi, cum quibus Fr. Rixosus Zaczepialski jurgatus est?

Resp. Cum Patre Innocentio Małecki, cum Fre Deodato Osobnicki, cum Fre Fideli Niewiadomski, & cum Fre Servulo Studziński.

Et cum lecta sibi per me Actuarium hâc suâ depositione, illi nil vellet addere, vel minuere, monitus de servando secreto propria manu se subscripsit & dimissus est. Salvo jure eum vocationi denuò si opus fuerit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviens, Die 26. Martii Annō Domini 1773.

Ego Fr. Benignus Spokoynicki deposui ut supra. mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provin. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Hoc præmissò, vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali me præsente Pater Pius Gospodarski Vicarius Conventū Testis ex Officio assumptus, ætatis annorum 35. Religionis 14. (prout ipse dixit) cui dato Juramento de veritate dicenda, prout ju-

Pars II.

Gg

ravit

ravit tacto pectore more Sacerdotali sequentes propositæ fuerunt interrogations.

Interrog. 1^{mo}. An interfuerit Visitationi alicujus percussi?

Respondit. Fui præsens Visitationi, quam Vestra Paternitas fecit de Fre Benigno Spokoynicki percusso in facie.

Interr. 2^{do}. An observaverit exactè omnia, quæ vidit, & an eorum recordetur?

Resp. Bene omnia ponderavi, quemadmodum & adnotacionem eorum factam à Patre Secretario, horumq; omnium vividam habeo memoriam.

Interr. 3^{ti}. An si illam legi audiret, eam unà cum sua subscriptione recognosceret?

Resp. Utique optimè cognoscerem.

Tunc ex Mandato A.R.P. Provincialis per me Actuarium ostensa est descriptio corporis delicti Patri Pio Gospodarski, Vicario Conventū visitato. Qua visâ dixit, hæc est descriptio me præsente facta, & manu mea subscripta.

Et lecta sibi sua depositione, cum illi nil vellet addere vel minuere, monitus de servando secreto propria manu se subscriptis, & dimissus est. Salvo Jure iterum vocandi Eundem si opus fuerit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 26. Martii 1773. Annō.

Ego Fr. Pius Gospodarski Testis deposui ut supra mppr.
Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Eadem die vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali me præsente Pater Serenus Dobržynski Discretus Conventū Testis ex Officio assumptus, ætatis annorum 40. Religionis 20. (prout ipse dixit) qui requisitus pro deponendo Juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore more Sacerdotali ad pro-

propositas sibi interrogaciones, respondit, ut sequitur.

Interrog. 1^{mo}. An interfuerit Visitationi alicujus percussi?

Respondit. Adfui præsens dum Paternitas A.R. visitaret Frem Benignum Spokoynicki in facie sinistra percussum.

Interr. 2^{do}. An omnia exactè observavit, quæ vidit, & an eorum recordetur?

Resp. Utique vidi omnia, & ea memoriæ commendavi.

Interr. 3^{ti}. An si eam legi audiret, illam unà cum sua subscriptione recognosceret?

Resp. Sine dubio recognoscerem.

Tunc ex Mandato A.R.P. Provincialis per me Actuarium ostensa est descriptio corporis delicti Pátri Sereno Dobržynski Discreto Conventū visitato. Quâ visa dixit. hæc est ipsissima descriptio in mea præsentia hodie de mane facta, & manu mea subscripta.

Et lecta sibi sua depositione cum illi nil vellet addere, vel minuere, monitus de servando secreto propria manu se subscriptis, & dimissus est. Salvò jure iterum vocandi eum si opus fuerit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 26. Martii Anno Domini 1773.

Ego Fr. Serenus Dobržynski Testis deposui ut supra. mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Cum ex hucusq; actitatis plenè probata maneat percussio Fr. Benigni Spokoynicki, A.R.P. Provincialis decrevit, prout defacto præsenti decreto decernit ad ulteriora procedere, inquiringo de delinquentे, Testes examinando, & alia, prout de Jure præstanto. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, die 26. Martii Anno Domini 1773.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

G g 2 Voca-

Vocatus itaq; fuit coram A.R.P. Ministro Provinciali Pater Lætus Niewinnicki S. Theologiæ Lector Moralis ætatis annorum 32. Religionis 12. (prout ipse dixit) Testis ex Officio assumptus, cui sufficenter præmonito oblatum fuit Juramentum de veritate dicenda, quod & præstítit tacto pectore more Sacerdotali. Qui ad propositas sibi interrogations respondit, ut sequitur.

Interrogatus 1mō. An sciat causam suæ vocationis?

Respondit. Scio.

Interr. 2dō. Quid nam est tale?

Resp. Scandalosa percussio Fris Benigni Spokoynicki perpetrata à Fratre Rixoso Zaczepialski.

Interr. 3tō. Unde id sciat, quod Fr. Rixosus Zaczepialski percusserit Frem Benignum Spokoynicki?

Resp. Id factum me præsente.

Interr. 4tō. Quomodo id factum?

Resp. Ludebant calculos Fr Benignus Spokoynicki erat ex una parte, Fr. verò Rixosus Zaczepialski erat ex altera parte, ubi itaq; Fr. Rixosus aberravit à scopo, Fr. Benignus aliquid, dixerat, sed non adverti ad verba, quia, pro tunc colloquebamur cum Patre Adacto Rzetelnicki Confessario. Et ecce protinus auditus est sonus alapæ, converti me igitur, siquidem tergo versus stabam, & expectabam quid sibi hoc velit, & tunc dicitur mihi, quod Frater Rixosus Zaczepialski alapam impigerit Fratri Benigno Spokoynicki.

Interr. 5tō Veditne Paternitas quando Fr. Rixosus percussit Fratrem Benignum?

Resp. Non, vidi, quia tunc stabam versus ad Patrem Adactum Rzetelnicki, sed Pater Adactus videt, quia facie versus erat ad illos ludentes.

Interr. 6tō. Quo tempore id factum?

Resp.

Resp. Die 20. Mensis præsentis, die Jovis, sub tempus re: creationis, quam indulsi studentibus post prandium.

Interr. 7mō. Quo in loco id factum?

Resp. In ambitu Conventū, ubi solito more Religiosi fine agitationis conserverant ludere calculis.

Interr. 8vō. Quibus præsentibus id factum?

Resp. Eo tempore fuerunt præsentes unā mecum Pater Adactus Rzetelnicki, Confessarius, Fr. Accursius Przybyłowicz, Fr. Adjutus Dotarski, & Fr. Benignus Spokoynicki Constudentes.

Interr. 9nō. An Paternitas sit amicus, sive inimicus Fratris Rixosi Zaczepialski?

Resp. Neque amicitiam aliquam cum hoc Fre, neque ini- micitiam habeo, admonui illum aliquoties de jurgiis habitis cum Fratribus, sed in omni charitate, & mansuetudine, solo amore illius volens illum ab hoc vitio revocare.

Interr. 10mō. Unde Paternitas scit illum jurgia excitasse cum aliis quoque ante hac Fratribus?

Resp. Audivi ab illis, cum quibus jurgatus fuerat, qui coram me de hoc sunt conquæsti.

Interr. 11mō. Qui sunt illi Fratres, qui conquæsti sunt coram Paternitate contra Frem Rixosum Zaczepialski?

Resp. Quos in prima visitatione nominavi, nimirū Pater Innocentius Małecki, Frater Deodatus Osobnicki, Fr. Fidelis Niewiadomski, & Fr. Servulus Studziński.

Interr. 12mō. An Paternitas reprehenderit, aut pænitentiaverit pro hoc Frem Rixosum Zaczepialski?

Resp. Paternè quidem, & charitatè, verū tamen seriò ipsum semper reprehendi, imò & pænitentiavi.

Interr. 13tō. Quomodo Paternitas pænitentiavit Fratrem Rixosum Zaczepialski pro his jurgiis?

Resp.

Resp. Pro prima vice solum ipsum reprehendi privatè, pro secunda verò vice sub tempus Lectionis in culpa seriò ipsum admonui, Tertiò inventum contentiosum, in Circulo etiam fræno ligneo punivi; pro quarta demum vice & culpam habuit, & disciplinam, & frænum ligneum per totum quadrantem sustinuit, usque dum omnes Studentes lectionem recitassent.

Interr. 14tò. An etiam à Superiore Locali fuerit aliquando pro similibus pænitentiatus?

Resp. Non, quia nonnisi coram me conquæsti erant, læsi ab ipso, & voluerunt esse contenti injuncta à me pænitentia.

Interr. 15tò. An pro percussione Fratris Benigni sit ab aliquo pænitentiatus Fr. Rixosus Zaczepialski?

Resp. Cogitabamus cum R. P. Gvardiano conducere Discretorium, ubi autem cognovimus A.R. Paternitatem esse præforibus, conclusimus præstolandum fore adventum A.R. Paternitatis, atq; hanc Causam illius decisionis relinquere.

Quibus in forma Juris habitis si, & in quantum acceptatis, **A.R.P.** Provincialis per me Actuarium legi clarè & distinctè fecit prædicto Testi hanc suam depositionem. Cui cum nihil vellet addere, vel minuere, monitus de servando secreto suæ depositionis propria manu se subscriptis, & dimissus est. Salvo Jure iterum vocandi eundem si opus fuerit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 27. Martii 1773. Annô.

Ego Fr. Lætus Niewiadomski Testis deposui, ut supra. mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Eodem die vocatus fuit Pater Adactus Rzetelnicki Confessorius, ætatis annorum 35. Religionis 16. (prout ipse dixit) Testis alter ex Officio assumptus. Qui fuit sufficenter monitus, & illi oblatum Juramentum, prout juravit tacto pectore more Sacerdotali. Atque ad propositas sibi interrogations, respondit, ut sequitur.

Intero-

Interrogatus 1mò. An sciat causam suæ vocationis?

Respondit. Conjicio aliqualiter.

Interr. 2dò. Quid fore putat?

Resp. Forte in causa Fris Rixosi Zaczepialski.

Interr. 3tiò. Quid causæ habet hic Fr. Rixosus Zaczepialski?

Resp. Dedit alapam Fratri Benigno Spokoynicki.

Interr. 4tò. Unde id sciat?

Resp. Id vidi oculis meis.

Interr. 5tò. Quomodo id factum?

Resp. Ludebamus calculos, sicq; factum, ut Fr. Rixosus Zaczepialski aberraret à scopo, ad quem aliqua verba locutus est Fr. Benignus Spokoynicki. Et ecce protinus Fr. Rixosus Zaczepialski illi alapam impegit.

Interr. 6tò. Quæ verba locutus est Fr Benignus Spokoynicki Fratri Rixoso Zaczepialski?

Resp. Non potui exactè audire, quia pro eo temporis habui discursum cum Patre Lectore.

Interr. 7mò. Audivitne aliquis illa verba?

Resp. Audierunt, qui erant proprius, Fr. Accursius Przybyłowicz, & Fr. Adjutus Dotarski.

Interr. 8vò. An Paternitas vidit Fratrem Rixosum Zaczepialski dedisse alapam Fri Benigno Spokoynicki, an tantum ab aliquo audivit?

Resp. Hisce oculis meis ego vidi hoc factum.

Interr. 9nò. An etiam Pater Lector viderit?

Resp. Pater Lector id non poterat videre, quia facie ad me directa stabat, ego autem opposito intuitu subsistens vidi totum factum clarè.

Interr. 10mò. An aliis quispiam id ipsum vidit?

Resp. Vedit etiam Fr. Accursius Przybyłowicz, & Fr Adjutus

jutus Dotarski, qui hoc factō statim medium se fecit inter Fratrem Rixosum Zaczepialski, & Fratrem Benignum Spokoynicki ad avertendum ulterius malum.

Interr. 11^{mo}. Quo tempore id factum?

Resp. Die 20. Mensis istius videlicet Martii.

Interr. 12^{mo}. Quibus horis, matutinis, an vespertinis?

Resp. Post prandium sub tempus recreationis concessæ Studentibus die Jovis.

Interr. 13^{tio}. Quo in loco id contigit?

Resp. In ambitu Conventū, ubi pro more calculis luditur à Religiosis agitationis gratia.

Interr. 14^{to}. An aliquis non compulerit Fratrem Rixosum Zaczepialski ad hoc factum?

Resp. Videtur neq; adfuisse tempus ad compulsum ipsius ab aliquo, vix enim sonuit sermo in auribus nostris Fratris Benigni Spoynicki, illicò secutus est strepitus alapæ impactæ.

Interr. 15^o. An Paternitas non habeat aliquam inimicitiam cum Fre Rixoso Zaczepialsk?

Resp. Nihil adusq; negotii cum illo habui, neque boni, neque mali.

Quibus in forma Juris habitis, si & in quantum acceptatis A. R.P. Provincialis per me Actuarium legi fecit, clarè, & distinctè prædicto Testi suam depositionem. Cui cum nihil vellet addere, vel minuere, monitus de servando secreto depositorum propria manu se subscriptis, & dimissus est. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 27. Martii 1773. Annō.

Ego Fr. Adactus Rzetelnicki Testis deposui ut supra. mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Eadem die vocatus fuit Frater Accursius Przybyłowicz Theologæ moralis studens Diaconus ætatis annorum 24. Religionis

gionis 6. (prout ipse dixit) qui sufficienter præmonitus proposito sibi Juramento de veritate dicenda illud illicò præstítit, tactis Libris S. Evangelii, ac demum ad propositas sibi interrogaciones, respondit ut sequitur.

Interr. 1^{mo}. An sciat causam suæ vocationis?

Respondit. Nescio.

Interr. 2^{dō}. In quo Conventu maneat de Familia?

Resp. In Conventu Gniewoszoviensi.

Interr. 3^{tiō}. A quo tempore?

Resp. Post Capitulum immediatè celebratum ex dispositio- ne A. R. Paternitatis missus sum pro Studio morali.

Interr. 4^{to}. An omnes Religiosi in hoc Conventu exemplariter, & religiosè vivant?

Resp. Non adeo omnes.

Interr. 5^{to}. Et qui sunt illi non exemplares?

Resp. Non est quod dicam contra cæteros, unius autem adest turbator pacis Fraternæ Fr Rixosus Zaczepialski.

Interr. 6^{to}. Unde id sciat?

Resp. Quoniam & non ita pridem Fratri Benigno Spokoynicki Constudenti nostro alapam impegit.

Interr. 7^{mo}. Unde id illi notum?

Resp. Fui præsens huic infelici casui, & utinam amplius nunquam practicandum.

Interr. 8^{vō}. Quomodo id factum?

Resp. Ludentibus nobis calculos, contigit Fri Rixoso Zaczepialski aberrare à scopo, quo viso Fr. Benignus Spokoynicki, erat enim alterius (nimis aduersæ) partis, dixit: Fr Rixosus pulchrè scit dirigere calculos extra mensam. Quo auditio Fr Rixosus Zaczepialski protinus alapam impegit Fri Benigno Spokoynicki.

Interr. 9^{nō}. Quid post hæc actum?

Pars II.

H h

Resp.

Resp. Fr Adjutus Dotarski Constudens noster, profiliit ex nunc in medium illorum, hoc est inter Frem Rixosum Zaczepialski, & Benignum Spokoynicki.

Interr. 10mō. Quō motivō id fecit Frater Adjutus?

Resp. Forte timens ne iteratō velit percutere Fratrem Benignum.

Interr. 11mō. Erantne signa aliqua iterandæ percusionis?

Resp. Hoc non possum dicere.

Interr. 12mō. Qui nam fuerunt eo tempore præsentes?

Resp. Fuit præsens M.V.P. Lector noster, Pater Adactus Rzetelnicki Confess, & Fr Adjutus Dotarski Constudens.

Interr. 13tiō. An etiam Pr Lector, & Pr Adactus id ipsum viderint?

Resp. Pr Adactus vidit hoc factum, minimè tamen Pater Lector, quia pro eo tunc à tergo stabat instituto sermone aliquo cum Patre Adacto.

Interr. 14tiō. Quo tempore id contigit?

Resp. Hodie septimana est, à quo hoc factum.

Interr. 15tiō. Quibus nam horis matutinis, an vespertinis?

Resp. Post prandium circa horam secundam sub tempus recreationis indulta.

Interr. 16tiō. Quo in loco?

Resp. In ambitu Conventū, huic lusui destinato?

Interr. 17mo. In qua parte faciei percussus est Fr Benignus?

Resp. In sinistra.

Interr. 18vō. An non aliquis instigaverit ad hoc Fratrem Rixosum?

Resp. Hujus rei ille non habet opus, videtur enim maximo-pere proclivis ad jurgia & contentiones.

Interr. 19no. Unde id Charitati Vestræ notum?

Resp. Nondum annus integer est, ex quo illi cohabitato, & jam cum aliquibus rixas fecit.

Interr.

Interr. 20mō. Cum quibus?

Resp. Cum Patre Innocentio Małecki, cum Fre Deodato Osobnicki, cum Fratre Fideli Niewiadomski, nec non cum Fratre Servulo Studziński.

Interr. 21mō. Unde id sciat?

Resp. Sub tempus Lectionum & Circulorum fuit de hoc redargutus à Patre Lectore.

Interr. 22dō. Fuitne pro his etiam pænitentiatus?

Resp. Et culpa fuit illi proposita, & disciplina, ad ultimum & frænum ligneum.

Interr. 23tio. An etiam à Patre Guardiano, aut ejus Vicario fuit aliquando pro his pænitentiatus?

Resp. Nunquam vidi, aut audivi.

Interr. 24tō. An Charitas Vestræ non habuit cum Fre Rixoso aliquam contentionem?

Resp. Nihil quidquam cum illo adusque habui.

Interr. 25tō. An amore vel odio deposuerit?

Resp. Nullam cum Fre Rixoso habeo sive amicitiam, sive inimicitiam.

Quibus in forma Juris habitis, si & in quantum acceptatis A.R.P. Provincialis per me Actuarium clarè & distinctè legi fecit prædicto Testi suam depositionem. Cui cum nihil vellet addere vel minuere, monitus de servando secreto suæ depositionis propria manu se subscripsit, & dimissus est. Salvo Jure iterum vocandi eum, ubi opus fuerit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 27. Martii 1773. Annō.

Ego Fr. Accursius Przybylowicz Testis deposui, ut supra. mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Eodem tempore vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali Fr. Adjutus Dotarski Clericus Subdiaconus Theologiæ moralis

H h2 stu.

studens, ætatis annorum 23. Religionis 6. (prout ipse dixit) qui sufficienter præmonitus proposito sibi Juramento de veritate dicenda, ubi illud præstítit tactis Libris S. Evangelii ad propositas sibi interrogations, eô modô, prout sequitur respondit.

Interrogatus 1mo. An sciat causam suæ vocationis?

Respondit. Puto me vocatum causa Fratris Rixosi Zaczepialski.

Interr. 2do. Quænam est causa Fris Rixosi Zaczepialski?

Resp. Quia atrociter alapisavit Frem Benignum Spokownicki.

Interr. 3to. Unde id sciat?

Resp. Fui præsens huic pessimæ actioni, illamque oculis meis vidi.

Interr. 4to. Quomodo id factum?

Resp. Obtenta recreatione à M.V.P. Lectore propter auræ intemperiem, ubi aliam agitationem instituere non aderat modus, unà cum Patre Lectore consensimus calculorum lusui, quò durante Frater Rixosus Zaczepialski fortiter aberravit à scopo extra mensam directò calculò, quæ res nobis risum fecit, Fr autem Benignus Spokownicki dixit: O! Fr. Rixosus bene ludit extra mensam, sive quid simile, non enim verborum recordor genuinè. Et ecce protinus Fr Rixosus Zaczepialski Frem Benignum Spokownicki atrociter in faciem percussit.

Interr. 5to. Quid deinde factum?

Resp. Timens ampliorem contentionem ego me medium inter illos posui.

Interr. 6to. An etiam quispiam aliis apposuerit manum ad sedandam hanc inconvenientiam?

Resp. M.V.P. Lector postquam cognovit factum, statim de hoc reprehendit Frem Rixosum Zaczepialski, & Discretio pro illo conducenda erat. Ast ubi fama venit A.R. Paternitatem

esse

esse præ foribus, totum hoc negotium relictum, manet A.R. Paternitati.

Interr. 7mo. Qui nam pro tunc fuerunt præsentes?

Resp. M.V.P. Lector noster, Pater Adactus Rzetelnicki Confessarius & Fr. Accursius Przybyłowicz.

Interr. 8vo. An omnes hi id ipsum viderint?

Resp. Viderunt præter Patrem Lectorem, qui pro eo tunc obversa facie stabat.

Interr. 9nd. Quomodo ergo Pr Lector cognovit factum?

Resp. Primò: quidem ex fono alapæ, deinde conversus ad nos fuit informatus de omnibus adæquatè.

Interr. 10m. Quando id factum?

Resp. Hodie septimana est, circiter horam secundam post meridiem.

Interr. 11mo. Quo in loco?

Resp. In Curritorio, ubi ordinariè convenire solumus ad lumen calculorum.

Interr. 12mo. In qua parte faciei percussus est Frater Benignus Spokownicki à Fratre Rixoso Zaczepialski?

Resp. In gena sinistra.

Interr. 13to. An ad hoc non fuerit instigatus ab aliquo?

Resp. A nemine, sed à sola sua passione, quæ sæpiùs illi fuit manuductrix ad jurgandum cum Fratribus.

Interr. 14to. Numquid cum aliis quoque Fratribus jurgatus est aliquando Fr. Rixosus Zaczepialski?

Resp. Non cum uno.

Interr. 15to. Cum quibus?

Resp. Cum Patre Innocentio Małecki, cum Fr Deodato O. Sobnicki, cum Fr Fideli Niewiadomski, & Fr Servulo Studziński.

Interr. 16to. Unde id notum Charitati Vestrae?

Resp. Audivi, & ab iisdem Fratribus, & vidi de his redargutum Frem Rixosum Zaczepialski à Patre Lectore, semel in circuito, & duabus vicibus sub tempus lectionis.

Interr.

Interr. 17mo. An etiam pænitentiatus fuerit pro his jurgiis à Patre Lectore?

Resp. Fuit etiam pænitentiatus.

Interr. 18vo. Qualiter pænitentiatus à Patre Lectore pro his jurgiis fuit Fr. Rixosus Zaczepialski?

Resp. Prima vice, nonnisi culpam habuit, altera verò disciplina illi adjuncta, tertio recidivans ultra culpam & disciplinam frænum ligneum sustinuit.

Interr. 19no. An pro his etiam à Patre Gvardiano, aut ejus Vicario aliquando fuit pænitentiatus Fr Rixosus?

Resp. Nunquam vidi, aut audivi Fratrem Rixosum Zaczepialski fuisse pænitentiatum pro suis contentionibus sive à P. Gvardiano, sive ab ejus Vicario. Quia illi, quos nominavi offensos à Fr. Rixoso Zaczepialski nonnisi recursum fecerunt ad P. Lectorem; Proinde P. Lector per se studuit emendare Paternè, & Charitativè Fratrem Rixosum Zaczepialski, sperans suis qua adhortationibus, qua salutaribus pænitentiis illum ad meliorem frugem reducendum.

Interr. 20mo. Unde illi hæc nota manent?

Resp. Quia me præsente supra nominati conveniebant Patrem Lectorem protestantes, quod nolint adæquatè puniendum fore Fratrem Rixosum Zaczepialski à Pre Gvardiano parcendo Juventuti Fris Rixosi, sed quod nonnisi cupiant Paternè & Charitativè illum ad meliorem frugem fore reducendum.

Interr. 21mo. An charitas Vestra sit amicus, vel inimicus Fris Rixosi Zaczepialski?

Resp. Nullam cum ipso contraxi specialem amicitiam, sed neque inimicitiam. De cætero vivimus adusque in bona harmonia.

Quibus in forma Juris habitis, si & in quantum acceptatis, A. R.P. Provincialis per me Actuarium clarè & distinctè legi fecit

cit prædicto Testi suam depositionem, cui cum nihil vellet addere, vel minuere, propria manu se subscripsit, & dimissus est. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 27. Martii, Annō 1773.

Ego Fr. Adjutus Dotarski Testis deposui ut supra. mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppr.

Ego Fr. Accuratus Pisarski, Actuarius. mppr.

Cum ex hucusque actitatis appareat Fatrem Rixosum Zaczepialski esse Reum percussionis Fratris Benigni Spokoynicki, decrevit A.R.P. Provincialis prædictum Frem Rixosum Zaczepialski Reum constituere. Prout defacto vigore præsentis Decreti Eumdem Reum declarat, & constituit. Atque illum coram se citare, examinare, & alia prout de Jure prosequi. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 27. Martii 1773. Annō.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis. mppa.

Ego Fr. Accuratus Pisarski Actuarius. mppr.

Die 28. Martii, Anni 1773. Vocatus fuit, & personaliter constitutus coram A.R.P. Provinciali Fr. Rixosus Zaczepialski Theologiæ morali studens, Subdiaconus ætatis annorum 23. Religionis 6. (prout ipse dixit) Reus infammatus de & super percussione atroci Fris Benigni Spokoynicki. Atq; monitus, quod contra ipsum adsint indicia sufficientia, & Testes convenientes, ita quod teneatur sincerè respondere, & delictum suum fateri. Quibus præmissis delato eidem Juramento de veritate dicenda super interrogationibus illi proponendis, prout defacto juravit tactis Libris S. Evangelii ad propositas sibi interrogaciones respondit, ut sequitur.

Interrogatus 1mo. An sciat causam suæ vocationis?

Respondit. Nescio.

Interr. 2d. In quo Conventu maneat de Familia?

Resp. In isto Conventu Gniewoszoviensi. *Interr.*

Interr. 3^{to}. A quo tempore?

Resp. A Capitulo præterito ex dispositione A. R. Paternitatis, veni huc pro Studio morali.

Interr. 4^{to}. An hoc tempore mansionis ipsius in hoc Conventu non observaverit aliquid scandalum?

Resp. Nullum Fratrem adverti fore scandalosum.

Interr. 5^{to}. Die 20. Mensis præsentis ubi inveniebatur?

Resp. Fui in Conventu.

Interr. 6^{to}. Post prandium hac die, quibusnam occupabatur?

Resp. Habita recreatione, ludebamus calculos.

Interr. 7^{mo}. Qui erant simul ludentes?

Resp. Pater Lector noster, Pater Adactus Rzetelnicki Confess. Fr. Accursius Przybyłowicz, Fr Adjutus Dotarski, & Frater Benignus Spokoynicki.

Interr. 8^{vo}. An eo temporis non fuerit quispiam jurgatus cum aliquo?

Resp. Ego aliqualiter jurgatus sum cum Fre Benigno Spokoynicki.

Interr. 9^{no}. Quam ob causam?

Resp. Ubi ego calculum erroneè expuli, ita ut ad medium mensam non perveniens caderet in terram, ille me irridebat, hinc passione ductus sum.

Interr. 10^{mo}. An non etiam Fr Benignus Spokoynicki aliqua verba dixerit molesta Charitati Vestra?

Resp. Utique.

Interr. 11^{mo}. Quæ illa verba fuerant?

Resp. O! Fr. Rixosus exactè dirigit calculos extra scopum, imò & ipsam mensam.

Interr. 12^{mo}. Quid illi ad hæc respondit Charitas vestra?

Resp. Sed manus mea à tua bucca non aberrabit.

Interr.

Interr. 13^{to}. Contentus ne fuisti verbis, an etiam manum movisti?

Resp. Etiam manum movi.

Interr. 14^{to}. Num solum manum moverit, an etiam percussit?

Resp. Etiam percussi.

Interr. 15^{to}. Qua in parte faciei percusserit Frem Benignum Spokoynicki?

Resp. In sinistra.

Interr. 16^{to}. Quibus præsentibus id factum?

Resp. Qui simul colludebant, quos supra nominavi.

Interr. 17^{mo}. Quo tempore?

Resp. Heri septimana est, ex quo id contigit, post prandium ante Vespertas.

Interr. 18^{vo}. Quo in loco?

Resp. In Curritorio Conventū ad hunc lusum destinato.

Interr. 19^{no}. Fuitne pro hoc pænitentiatus ab aliquo?

Resp. Non. Tantum R.P. Gvardianus me absolvit ab Excommunicatione, cùm autem A. Rda Paternitas speraretur in dies; at ipsum negotium est suspensum.

Interr. 20^{mo}. An etiam cum aliquo quopiam aliquando non fuerit jurgatus?

Resp. Contigit utique.

Interr. 21^{mo}. Cum quo, sive cum quibus?

Resp. Cum Patre Innocentio Malecki, cum Fre Deodato Osobnicki, cum Fre Fideli Niewiadomski, & Fre Servulo Stdziński.

Interr. 22^{do}. Quibus de causis?

Resp. Variis de causis, quibus mihi videbantur esse molesti.

Interr. 23^{ti}. An pro hujusc contentiōibus cum immediate nominatis fuerit à quopiam reprehensus?

Resp. Fui reprehensus, & objurgatus à M.V.P. Lectore nostro.

II

Interr.

Interr. 24to. Qualiter fuerit reprehensus?

Resp. Variè, prima vice ubi jurgatus sum cum Patre Innocentio Malecki tantum fui objurgatus à Patre Lectore in Cella ipsius, se motis omnibus, ubi verò cum Fr. Deodato Osobnicki contendì, culpam habui, sub tempus Lectionis, postea verò & disciplina mihi injuncta, ac demùm & frænum ligneum sustinere jussus sum toto tempore recitationis Lectionum.

Quibus habitis, iussit A.R.P. Provincialis hoc examen Reo Q legi, quô perlechto, interrogavit eundem, an vellet aliquid addere, vel minuere? Ubi autem respondit se nihil velle addere vel minuere, aut immutare, mandavit illi, quatenus se suo examini subscribat, quod & fecit. Tandem monitus de servando silentio dimissus est. Salvo Jure iterum vocandi eum ad arbitrium A.R.P. Provincialis. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 28. Martii 1773. Annô.

Ego Fr. Rixofus Zaczepialski deposui ut supra.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis,

mppr.

Ego Fr. Accuratius Pisarski Actuarius.

mppr.

Cum ex hucusq; actitatis contra Frem Rixosum Zaczepialski Reum de criminè atrocis percussionis in maxilla Fris Benigni Spokoynicki, plenè pateat prædictum Frem Rixosum Zaczepialski fuisse & esse auctorem dicti Criminis, quemadmodum & ipse timore Dei compulsus, proprio ore fassus est, hinc antequam ad ulteriora prout de Jure procederet A.R.P. Provincialis, eidem Fratri Rixoso Zaczepialski Reo, debitas defensiones concedendas duxit, prout eidem vigore præsentis Decreti indulget, & concedit. Fine quô quantum fieri potest relevet à pænis Statutariis ipsum spectantibus. Acta sunt hæc in

Con-

in Conventu Gniewoszoviensi, Die 28. Martii, Annô Domini 1773.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provin.

mppr.

Ego Fr. Accuratius Pisarski Actuarius.

mppr.

A nno 1773. Die 28. Martii. Eodem loco comparuit coram A.R.P. Provinciali Frater Rixofus Zaczepialski Reus, qui supra. Et gratiis actis, de oblatione sibi termini defensionis ac Patroni concessione omnia acceptavit, atque in Patronum suum nominavit A.V.P. Judiciosum Prawnicki. Cujus nominationem A.R.P. Provincialis acceptavit, & approbavit, sicque eundem Pratrem Judiciosum Prawnicki in Patronum præfato Fratri Rixoso Zaczepialski indulxit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, Die 28. Martii, Anno Domini 1773.

*Ego Fr. Rixofus Zaczepialski acceptavi, & nominavi,
ut supra.*

mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis.

mppr.

Ego Fr. Accuratius Pisarski Actuarius.

mppr.

Consequenter vocatus fuit coram A.R.P. Provinciali Pater Judiciosus Prawnicki Prædicator Emeritus, cui fuit significatum, quemadmodum Fr Rixofus Zaczepialski Eum sibi elegerit in Patronum suæ Causæ, quæ contra ipsum acticatur. Fuitque interrogatus, an tale munus acceptet? Quo respondente affirmativè A.R.P. Provincialis exegit ab eo Juramentum, de fideliter ad normam Juris exercendo suo Officio, quod & præstitit tacto pectore more Sacerdotali. Cui proinde A.R.P. Provincialis copiam Actorum consignare demandavit. Acta sunt hæc in Conventu Gniewoszoviensi, die 28. Martii, Anno Domini 1773.

Ego Fr. Judiciosus Prawnicki accepto & juro, ut supra.

mppr.

Ego Fr. Justinus Sendziakowski Minister Provincialis.

mppr.

Ego Fr. Accuratius Pisarski Actuarius.

mppr.

liz

In

In Nomine Domini, Amen.

NO^s Frater Justinus Sendziakowski Provinciæ Premislien-
sis Minister Provincialis & Judex Ordinarius. Visis ac di-
ligenter discussis omnibus & singulis in Causa & Caufis coram
Nobis actitatis contra Fratrem Rixosum Zaczepialski, signan-
ter verò de, & super eo, ac si prædictus Frater Rixosus Zacz-
epialski esset Auctor atrocis percussionis in facie, Fratris Benigni
Spokoynicki, de quo præfatus Frater Rixosus Zaczepialski fuit
infammatus, & inquisitus. Nec non maturè consideratis Te-
stium depositionibus contra prædictum Fratrem Rixosum Za-
czepialski super memorato crimine, ipsoque citato, & inter-
rogato, ac sufficienter audito in omnibus suis defensionibus,
habitoque super hoc peritorum consilio & assensu, solum DE-
UM præ oculis habentes per hanc nostram Definitivam Sen-
tentiam dicimus, pronuntiamus, & declaramus Fratrem Rixo-
sum Zaczepialski esse confessum & per Testes integros plenè
convictum, quòd tale crimen commiserit, videlicet, atrocis
alapæ in facie sinistra Fratris Benigni Spokoynicki, proinde
incidisse in pænas latas in nostris Constitutionibus, contra sic
delinquentes. Quia verò aliunde inventus est jurgia &
contentiones cum Fratribus habere, prout etiam deductum, &
probatum manet; ideo Statutariam pænam esse sibi augen-
dam declaramus. Proinde ipsum condemnamus ad pænam
Carceris formalis Menstrui, quo tempore, quâvis feriâ secundâ
& quartâ, ac demum sextâ disciplinam in Refectorio sub tem-
pus prandii per unum Miserere, & Deprofundis facere, manu
propria tenebitur, quâ expleta pænitentia, ex Carcere dimissus
Caparonem per tres Menses deferat. Reservantes Nobis jus
& potestatem dictam pænam moderandi si, & inquantum No-
bis

bis in Domino ità visum fuerit. Sic dicimus & sententiamus
non solum hoc, sed & omni alio meliori modo, viâ & formâ
quibus de Jure possumus, ac valemus. Ità pronuntiavimus,
& sigillô Nostrô communiri fecimus in Conventu Nostro
Gniewoszoviensi, Die 31. Martii, Annô Domini 1773.

De Mandato A.R. P. [L. S.] Fr. Justinus Sendziako-
wski Minister Provincialis.
Fr Accuratius Pisarski

Actuarius mppr.

Lecta & publicata fuit in præsentia duorum Testium per
me Actuarium eadem die 31. Martii, 1773. Annô.

Ego Fr. Accuratius Pisarski Actuarius. mppr.

Ex hoc itaque Processu per extensum proposito in exemplum patet,
quod ubi occurrit formandus Processus per viam famæ, primo &
antè omnia saltem per duos Testes integros & Contestes debet proba-
ri fama, & antequam deveniatur ad examinandum corpus delicti po-
nendum manet Decretum Interlocutorium de fama probata, seu quod
constet de fama, secùs Processus erit nullus.

Patet etiam, quod in Causis facti, debet primò constare de cor-
pore delicti, saltem per duos Testes Contestes. Quemadmodum &
Decretum ponendum manet de probato corpore delicti, antequam de-
scendatur ad investigandum de delinquente, & hoc sub nullitate
Processus.

Habito probato corpore delicti, & de hoc præmisso Decreto Inter-
locutorio insituendum primò manet examen de delinquente. Quo
invento per examen Testium idoneorum & convenientium, forman-
dum est Decretum Interlocutorium de delinquente seu constitutionis
Rei.

Rei. Atque nonnisi his præmissis licitum est Judici Reum citare, & examinare.

Ubi verò aliâ viâ occurrit formandus Processus puta per viam Accusationis & Denuntiationis & mutandum manet initium Processus juxta ea, quæ dicta sunt Cap. 26. & Cap. 28.

Ad ultimum si Processus formandus maneat non ab Ordinario Judice, sed à Delegato, mutandum pariter manet initium Processus conformiter ad datas informationes, Cap. 28.

Et his brevibus (quæcumq; licuit) lucubrationibus satis me obsequii præstissem puto Vobis hujus Operis amici Lectores, qui scita aliud e Vobis in memoriam revocare satagit, quemadmodum & Vobis, qui desiderio addiscendi Juris Regularis tenemini. Hunc itaque exiguum quantumvis licet laborem illo cum affectu & benevolentia utriusque suscipite, quô Ego stimulatus præstandi Vobis obsequii adusq; desudavi, donec cuncta, quæ desiderari videbantur faventibus Superis ad optatum deduxi finem. Hâc Die 31. Martii, Annô Domini 1773.

Ad M. D. G. B.V.M. S. L. O. C. H.
SS. OO. Venerationem.

Finis Partis Secundæ.

JNDEX ALPHABETICUS

Rerum magis Notabiliorum

PARTIS SECUNDÆ.

In quo *P.* significat Paginam, sive Folium Libri; *N.* denotat numerum marginalem, jam verò *V.* significat Versum Paginæ sive Folii, & *seq.* denotat, & sequentibus versibus, sive numeris, *Cap.* significat Caput Libri.

A.

*A*bbates cæteriq; Ordinum Superiores, sunt Judices Ordinarii suorum Subditorum. *Pag. 6. N. 7. & 8.*

Accusator quid sit? *Pag. 46. n. 1. & 2.*

Accusatores qui esse nequeunt? *Pag. 46. n. 3. & seq.*

Accusare Prælatos non licebat inferioribus in antiqua Ecclesia. *Pag. 50. n. 19.*

Accusans aliquem de falso, Calumniatoris pænam incurrit, *Pag. 50. n. 16.*

Accusatione à Judice acceptata, nequit ab illa recedere Accusator. *Pag. 50. n. 17.*

Accusationem semel acceptatam Judex abolere nequit. *Pag. 51. n. 20.*

Accusans de pluribus delictis, si unum probaverit, evadit pænam talionis. *Pag. 49. n. 15.*

Nonnisi per accusationem primis sæculis in criminalibus procedebatur.

Viâ accusationis incipiendi Processus Praxis. *P. 164. n. 9.*

Libelli Accusatorii forma. *Pag. 159. n. 2.*

Actuario opus est in omnibus Judiciis Regularium. *Pag. 43. n. 3.*

Actuarii creandi Praxis. *Pag. 147. n. 1. & Pag. 153. n. 2.*

Si
Ii

Si A*ctu*ario alio opus fuerit, quid faciendum? *Pag: 153. n. & 4.*
Aleatores publici excluduntur à P*relaturis*. *Pag: 29. n. 21.*
Apellatio quid sit? *Pag: 117. n. 1.*
Appellatio quotuplex sit? *Pag: 117. n. 2. usq; ad 12.*
Apellatio videtur indebita Regularibus. *Pag: 121. n. 13.*
Prout nonnulli Doctores senferunt. *Pag: 122. n. 14.*
Absolutè loquendo Regulares appellare possunt. *Pag: 122. n. 16.*
Apellationem inhibere Regularibus possunt eorum Superiores. *Pag: 122. n. 15.*
Apellare Regularibus nonnisi congruit in Causis boni communis. *Pag: 123. n. 17.*
Et casu manifesti gravaminis. *Ibidem.* & *Pag: 124. n. 22. & 23.*
Apellare Regularibus non licet à p*enitentia*is quotidianis & levioribus. *Pag: 123. n. 19.*
Et quando p*enitentia*ntur conformiter ad Statuta sui Ordinis. *Pag: 123. n. 18.*
Nec non à correctionibus & monitis Paternis. *Pag: 124. n. 20.*
Apellare Regularibus quandonam liceat? *Pag: 125. n. 24. ad 26.*
Ad quos appellare debeant Regulares? *Pag: 126. n. 27. ad 33.*
Apellationis legitimæ tempora & modi. *P. 128. n. 34. ad 43.*
Apellatio instituta à Sententia interlocutoria debet proponi Judici in scripto. *Pag: 132. n. 42.*
Secus dicendum, si apelletur à decisiva. *Ibidem.*
Apellatio quæcunque apud Regulares potest fieri quoconque die intra tempus à Lege pr*æscriptum*. *Pag: 133. n. 43.*
Apellationi legitimæ interpositæ, non acquiescens Judex peccat graviter. *Pag: 133. n. 44. ad 46.*
Apellant Reo si Judex denegat Apostolos, quid faciendum? *Pag: 134. n. 47. & 48.*
Apellant Reo non tenetur Judex exnunc dare Apostolos. *Pag: 134. n. 49.*
Apel.

Apellatione admissa Judex tenetur dare Apostolos Reo intra dies triginta. *Pag: 135. 52.*
Apellans ante Sententiam definitivam remittendus est ad Judicem Ordinarium & ut Apostata puniendus. *P. 138. n. 65.*
Apellationis qui sint effectus? *Pag: 139. n. 67.*
Non omnis Apellatio similes effectus sortitur. *P: 139. n. 68. & 69.*
Apellatio non impedit effectum Censurarum. *Pag: 140. n. 70.*
Nisi malè fuerint latæ. *Pag: 140. n. 71. & 72.*
Apellatio à Sententia definitiva utrumq; sortitur effectum; tamen nimirū suspensivum, quām devolutivum. *P. 141. n. 73.*
In criminalibus tamen & gravioribus scandalis, id non omnino tenet. *Ibidem.*
Apellatione interposita à Sententia interlocutoria Judex à quo appellatur, potest corrigere gravamen. *Pag 141. n. 74.*
Apellationis interponendæ à Sententia interlocutoria Praxis. *Pag. 229. n. 1. ad 4.*
Apellationis à Sententia definitiva Praxis. *Pag: 230. n. 5.*
Apostoli in Jure quid denotent? *Pag. 130. n. 38.*
Apostolorum quot species? *Ibidem n. 39.*
Apostolos refutatorios concedendi Praxis. *Pag: 230. n. 5.*
Apostolos reverentiales dandi Praxis. *Pag: 231. n. 7.*
Apostolorum dimissorialium Praxis. *Pag. 232. n. 8.*
Apostolorum Testimonialium Praxis. *Pag: 232. n. 9.*
Apostoli eorumque Successores Episcopi, Judices Ordinarii Christi Fidelium ab initio Ecclesiæ. *Pag. 3. n. 3. ad 6.*
Arbiter quis & quid? *Pag: 18. n. 1. & 2.*
Arbitri debent habere easdem qualitates, quas Judices Ordinarii. *Pag: 19. n. 3.*
Arbitrorum Auctoritas pendet à Compromisso. *Pag: 19. n. 4.*
Ab Arbitrorum Sententiis non expedit appellatio. *Pag: 19. n. 5.*
Absolutè tamen loquendo licet. *Ibidem ac n. sequ.*

Affessores possunt adhiberi etiam in Judiciis Regularium. Pag:
43. n. 1.

Auctoritas Judicium innititur Juri Divino. Pag: 2. n. 3.

B.

Bigami nequeunt esse Superiores Regularium. Pag: 30.
n. 23.

C.

Causa inchoari debet in loco delicti. Pag. 14. n. 15.
Caduco morbo laborantes, excluduntur à Superioratu. Pag.
28. n. 9.

Similiter & claudi. Pag: 29. n. 16.

Nec non & cæci. Pag: 29. n. 16.

Quemadmodum & Consangvinei. Pag: 37. n. 7.

Clamorosa insinuatio quid sit? Pag: 65. n. 9.

Constituendi Reum Praxis. Pag: 198. n. 2.

Contumax Reus habendus pro Confesso. Pag: 86. n. 4.

Corpus delicti quid importet in jure? Pag: 72. n. 2.

Corpus delicti prius probandum antequam Inquisitio institua-
tur de delinquente. Pag: 66. n. 13.

Corpus delicti Judex per se tenetur visitare. Pag. 72. Cap. 16.
per totum.

Corporis delicti probandi Praxis. Pag: 181. Cap. 30.

D.

Delegatus quid importet? Pag: 8. n. 1. & 2.

Delegatorum quæ Auctoritas? Pag: 8. n. 3. & P. 10. n. 9.

Delegati quales esse debeant? Pag: 9. n. 6.

Delegatus primo debet docere de delegatione. Pag: 10. n. 10.
& sequent.

Delegatus quando potest delegare? Pag: 11. n. 11. ad 13.

Delegati Jurisdictio quanta? Pag: 12. n. 14.

Dele-

Delegati duratio Auctoritatis unde sumenda? P. 15. n. 16. &

17.

Delegatis quæ præcedentia debeatur? Pag: 17. n. 21. & 22.

Delegationis faciendæ Praxis. Pag, 169. n. 3. & 4.

Delegato Ordinarius potest dare potestatem usque ad Senten-
tiam definitivam inclusivè. Pag: 171. n. 4.

A Delegato incipiendi Processus Praxis. Pag: 172. n. 5.

Denuntiatio quid, & quotplex sit? Pag: 52. n. 1. ad 5.

Inhabiles ad accusandum denuntiare nequeunt. Pag: 53. n. 6.

Contra Prælatos nequeunt esse Denuntiatores infimæ plebis
homines. Pag. 54. n. 7.

Denuntiationis quæ essentialia? Pag: 54. n. 8.

Viâ Denuntiationis incipiendi Processus Praxis. Pag: 165. n. 11

Denuntiationis Evangelicæ Praxis. Pag. 159. n. 3.

Denuntiationis Juridicæ Praxis. Pag: 160. n. 4.

Defensiones sunt de Jure naturali. Pag: 92. n. 1.

Jn illis neque Ordinum Generales dispensare possunt. Pag: 93.
n. 2.

Imò ipse Reus non debet levibus ex causis ipsas resignare.

Pag: 93. n. 3.

Hinc Judices caveant à persuadendo Reis, ut suis defensioni-
bus renuntient. Pag: 93. n. 4.

Defensionis modi qui? Pag: 93. n. 5. & seq.

Defensionum Reo concedendarum Praxes. Pag: 206. Cap. 33.
per totum.

Dimissoriales Literæ quid significant in jure? Pag: 130. n. 38.

E.

Ebriosi excluduntur à Prælaturis Regularium. Pag: 29. n. 13.

Similiter & Energumeni. Pag: 28. n. 11.

Quemadmodum & Epileptici. Pag: 28. n. 9.

Examinandi Reum Praxes. Pag: 196. Cap: 32 per totum.

Exce-

Exceptio quid, & quotplex sit? *Pag: 67. Cap. 15. per totum.*
Exceptio contra Eligendum non debet admitti ipso die Electi-
onis.

*Nisi probationes adsint in promptu. *Ibidem.**
Excepto Defensiones concedendæ ante Sententiam. *Pag: 70.*
n. 12.

Legitimæ exceptionis quæ sunt fundamenta? *Pag: 71. n. 14.*
Excipere contra Eligendum quibusnam liceat? *Pag: 71. n. 15.*
Libellus exceptionis quæ continere debeat? *Pag: 71. n. 13.*
Casus exceptuati qui? *Pag: 48. n. 11.*
Libelli exceptorii contra Eligendum forma. *Pag: 161. n. 5.*
Libelli exceptorii criminaliter propositi Praxis. *Pag: 162. n. 6.*
Libelli exceptorii contra Electum Praxis. *Pag: 163. n. 7.*

F.

Fama quid sit? *Pag: 58. n. 5. & 6.*
Fama priùs probari debet, antequam descendatur ad In-
quisitionem de delicto, & delinquentे. *Pag: 58. n. 7.*
Fama non præcedente in casibus exceptuatis inquisitio insti-
tui potest. *Pag: 65. n. 10.*
Per viam Famæ incipiendi Processus Praxis. *Pag: 155. n. 5.*
Fatalia apellationum quid importent in Jure? *Pag: 128. n. 35.*
Fatui excluduntur à Prælaturis Regularium. *Pag: 28. n. 12.*
Quemadmodum & Furiosi. *Pag: 28. n. 10.*
Fortitudo animi desideratur in Judice, *Pag: 23. n. 5.*
Forma Juris Ecclesiastici duplex habetur. *Pag: 40. n. 1.*
Formalitas Judicij in quo consistat? *Pag: 55. n. 1. & sequent.*

G.

Glibbosí nequeunt esse Superiores Regularium. *Pag: 29.*
n. 5.

H.

Hermaphroditini nequeunt esse Superiores Regularium. *Pag:*
29. n. 18.
Similiter Hæretici seu maculati circa fidem. *Pag: 30. n. 22.*

I.

Jndicia quid sint, & quotuplicia. *Pag. 59. n. 14. & sequ.*
Indicia quantumvis gravia, non sufficiunt ad hoc, ut Reus
condemnetur ad pænam Ordinariam. *Pag: 104. n. 7.*
Inimici nequeunt esse Judices apud Regulares. *Pag: 33. n. 2.*
ad 5.
Similiter & Infames. *Pag: 30. n. 26.*
Sive sint Infames infamia Juris, sive infamia facti. *Ibidem.*
Per viam Infamiae seu famæ incipiendi Processus Praxis

P. 155. n. 5.

Inquisitio quid & quotplex sit? *Pag: 62. n. 1. & 2.*
In inquisitione Generali Paterna Prælatus à nullo Juramentum
exigit. *Pag: 63. n. 3.*
In illa non est interrogandum de speciali Persona, aut delicto
occulto. *Ibidem n. 4.*
Ad illam non prærequiritur Infamia. *Pag: 65. n. 6.*
Inquisitio specialis quid sit? *Pag: 65. n. 7.*
Inquisitionis Generalis Juridicæ Praxis. *Pag 147. Cap. 25.*
Illegitimi excluduntur à Prælaturis *Pag. 130. n. 24.*
Irregulares ex delicto excluduntur à Prælaturis Ordinum.
Pag. 29. n. 19.
Similiter Jure Suffragiorum privati. *Ibidem n. 20.*
Judex quid sit, seu significet? *Pag: 1. n. 1.*
Judicium quid importet? *Ibidem.*
Judicij formalitas in quo consistat? *Pag: 55. Cap 12. per totum.*
Judicij institutio est de Jure Divino. *Pag: 2. n. 2.*
Unde & Auctoritas Illorum petenda manet. *Pag: 2. n. 3.*
Ju-

Judicij finis est fontes punire, Innocentes absolvere, ac demum
controversias dirimere. pag: 2. n. 4.
Judex distinguitur in Ordinarium Delegatum, & Arbitrarium.
pag: 2. n. 5.
Judex Ordinarius quis? pag: 3. n. 1.
Judices Ordinarii Sæculares apud Romanos ab antiquo p. 4. n. 2.
Apostoli Eorumq; Successores Episcopi, Judices Ordinarii
Christi Fidelium etiam in Causis Civilibus. pag: 4. n. 3. ad 7.
Religiosorum Superiores in Causis Religiosis. Judices Ordinarii.
pag: 6. n. 7. & 8.
Judex Delegatus quid? pag: 8. n. 1.
Judices debent habere scientiam Légis. pag: 20. n. 1.
Hinc ignari Legis suscipientes munera publica, peccant morta-
liter. pag: 21. n. 2.
In Judicibus desideratur prudentia. pag: 21. n. 3.
Nec non fortitudo animi, mentisq; constantia. pag: 23. n. 5.
Ab Judicis Officio qui excludundur in Religionibus. pag: 25. Cap
6. per totum.
Quemadmodum & Cap. 7. pariter per totum.
Judices Regularium uti debent formâ Judicis Summarii. pag:
42. n. 5. & 6.
Non tenentur ad Solemnitates Juris, ast nonnisi ad essentialia.
Ibidem.
Judicium integrant tres Personæ, videlicet: Judex, Actor, &
Reus. pag: 44. n. 7.
Judex nequit procedere per viam Inquisitionis, nisi præceden-
te fama, seu verius infamia. pag: 58. n. 4.
Judex pronior debet esse ad absolvendum, quam ad conde-
mnandum. pag: 59. n. 8.
Judex non acquiescens apellationi legitimæ, peccat graviter.
pag: 133. n. 44. usque ad 46.

Judex

Judex inventus male judicasse manet puniendus. Pag: 138. n. 63
Judex à quo appellatur, potest absolvere Reum à Censuris. Pag:
142. n. 75.

Juris Ecclesiastici forma duplex invenitur. Pag: 40. n. 2.
Juris Ecclesiastici, quæ sunt essentialia? Pag: 40. n. 2.
Juris Ecclesiastici quæ nam sint Solemnitates? Pag: 41. n. 4.

L.

Legis scientia desideratur in Judice. Pag: 20. n. 1. & 2.
Legis Regularium Nomine quid veniat? Pag: 110. n. 22.
Leprofi nequeunt esse Superiores Regularium. Pag: 27. n. 4.
Similiter Lunatici. Pag: 28. n. 10.

M.

Marasmo laborantes excluduntur à Prælaturis. Pag: 27. n. 6.
Similiter Maniaci. Pag: 28. n. 10.
Nec non manu, naso, vel oculo carentes. Pag: 28. n. 13.
Quemadmodum & muti. Pag: 29. n. 17. {

N.

NAso, oculovè vel manu carentes, excluduntur à Prælatu-
ris. Pag: 28. n. 13.
Notario sive Actuario jurato opus est in Judiciis Regularium.
Pag: 43. n. 3. & pag: 66. n. 12.
Notarii creandi Praxis, Pag: 147. n. 1. & Pag: 153. n. 2.
Viâ Notorii incipiendi Processus Praxis. Pag: 167. n. 18.
Viâ Notorii eximandi Rei Praxis. Pag: 204. n. 24.

O.

ORDinarius Judex quis & quid? Pag: 3. n. 1. & sequent.
Oculo altero, naso, manuve carentes excluduntur à Præla-
turis. Pag: 28. n. 13.

P.

PARalitici inhabiles manent ad Prælaturas. Pag: 28. n. 8.
Kk Per-

Personatum quinam habere dicantur in Religionibus? *Pag.*

10. n. 7.

Personæ Judicium constituentes sunt tres: videlicet, Judex,
Actor, & Reus. *Pag. 44. n. 7.*

Phtisici & tabidi excluduntur à Superioratu apud Regulares.
Pag. 27. n. 6.

Similiter & Podagrī. *P. 28. n. 7.*

Pæna in Sententia specificè & in individuo exprimenda manet.
P. 106. n. 13.

Pæna pro delicto debet assignari à Judice Regulari ad præscri-
ptum Constitutionum hoc est Statutorum sui Ordinis. *P.*
107. n. 16.

Pænam Statutariam nequit Judex Regularis neque augere, ne-
que minuere. *P. 108. n. 17.*

Nisi forte adsint circumstantiæ sive minuendæ, sive demùm
augendæ. *Ibidem.*

Pænæ augendæ, sive minuendæ Causæ. *P. 108. n. 19. & 20.*
Ubi Reus pænæ Statutariæ incapax est, quid faciendum? *P. 108*
n. 18.

Si pæna determinata pro delicto non inveniatur in Constitu-
tionibus Ordinis, quid faciendum? *P. 109. n. 21.*

Pænam semel taxatam, nequit Judex Regularis revocare. *P. 110.*
n. 23.

Nisi in Sententia servaverit sibi Jus moderandi. *Ibidem.*
Si pæna in Constitutionibus Ordinis indefinite sit expressa,
quid faciendum? *P. 112. n. 25.*

Præcedentia Delegatorum qualis? *P. 17. n. 21. & 22.*
Processus per viam Inquisitionis specialis incipiendi Praxis.

P. 152. Cap. 26.

Processus per viam famæ incipiendi Praxis. *P. 155. n. 5.*
Prudentia in Judicibus maximopere desideratur. *P. 21. n. 3. & 4.*

Pur-

Purgatio Canonica quid sit? *P. 96. n. 1.*

Purgatio Canonica dupliciter fieri potest. *P. 96. n. 2.*

Si à Judice indicatur, quæ observanda? *P. 96. n. 3. usq; ad 8.*

Si autem fiat ad Instantiam infamati, quomodo proceden-
dum. *P. 98. n. 8.*

Purgatus Canonice manet absolutus à Crimine. *P. 98. n. 9. & 10.*

Purgare se renuens non ideo habendus pro convicto. *P. 99. n. 11.*

R.

R ecusationis Judicis sive Ordinarii, sive Delegati Praxis.

Pa: 173. Cap. 29. per totum.

Religiosorum Superiores, sunt Judges Ordinarii. *P. 6. n. 7. & 8.*

Res integra, & res non integra quid significant in Jure? *P. 16.*
n. 17. usque ad 20.

In Religionibus qui ab intrinseco Judges esse nequeunt? *P. 25.*
Cap. 6. per totum.

In Religionibus, qui ab extrinseco seu accidentalí Judges esse
non possunt? *P. 31. Cap. 7. per totum.*

Regulares uti debent forma Juris Summarii. *P. 42. n. 5.*

Reus quid sit? *P. 85. n. 1.*

Reus antequam vocetur, debet primò constitui & citari. *P. 85.*
n. 2.

Citatio Rei est de Jure naturali. *P. 85. n. 3.*

Reus quomodo apud Regulares citandus? *Ibidem.*

Reo legitimè citato & non comparente, quid faciendum?
P. 86. n. 4. ad 6.

Reo comparenti aperiendus Status Causæ. *P. 86. n. 5.*

Reus non audiatur nisi juratus. *P. 87. n. 8.*

Reus benignè interrogandus de omnibus. *P. 87. n. 9. & 10.*

Reus respondere nolens, putatur confessus. *P. 88. n. 11.*

Reo non sunt aperienda nomina Testium. *Ibidem.*

Kk2

Reo

Reo nolente respondere propter suspicionem erga Judicem,
quid faciendum? P. 89. n. 13.

Reus non debet interrogari nisi de illis, de quibus aut convi-
ctus, aut saltem indicatus. P. 89. n. 14.

Reus suspectus de fuga potest arctari ad custodiam. P. 135. n.
53. & p. 136. n. 54.

Reus male appellans puniendus manet duplicatâ pænâ. P. 138.
n. 63.

Reum constituendi Praxis. P. 198. n. 2.

Reum examinandi Praxis. P. 196. Cap: 32. per totum.

Rei suspecti de fuga arctandi Praxis. P. 198. n. 4. usque ad 6.

Reus aliquoties examinari potest. P. 201. n. 11.

Rei pluries examinandi Praxis. P. 202. n. 12. & sequen.

Reus nec semiplenè convictus, si in negatione persistat, dimit-
tendus est in pace. P. 204. n. 22.

Rei Notorii examinandi Praxis. P. 205. n. 24.

S.

Sententia quid & quotuplex sit? Pag: 202. n. 1. usq; ad 6.

Sententia ut sit valida debet dari in scripto. P. 105. n. 10.

Sententiæ latæ debet Judex subscribere. Ibidem n. 11.

Sententia sic formata debet Reo publicari. Ibidem n. 12.

In Sententia debet specificè & in individuo exprimi corpus de-
lictii. P. 106. n. 13.

Quemadmodum & pæna taxata pro delicto. Ibidem.

In subscriptione Sententiæ debet apponi Nomen & Cogno-
men Judicis. P. 107. n. 14.

In principio Sententiæ necessariò apponendum in Nomine
Domini. P. 107. n. 15.

Sententiam in pleno Definitorio latam, Provincialis non po-
test alterare. P. 111. n. 24.

Nisi Illi alterandi data fuerit potestas. Ibidem.

Sen.

Sententiæ Absolutoriæ Rei innocentis Praxis. P. 216. n. 7.

Sententiæ Condemnatoriæ Rei ad pænam Arbitrariam Pra-
xis. P. 215. n. 6.

Sententiæ Condemnatoriæ Rei plenè convicti ad pænam Or-
dinariam Praxis. P. 216. n. 7.

Si propter circumstantias aggravantes augenda maneat, pæna
illud exprimatur. P. 216. n. 8.

Si autem minuenda maneat quomodo procedendum? p. 217.
n. 9.

Sententiæ Condemnatoriæ in Casu Notorii Praxis. P. 217. n. 10.

Sententiæ Condemnatoriæ Rei contumacis Praxis. P. 218. n. 11.

Sententiæ Absolutoriæ tam Rei, quam Accusatoris Praxis.
P. 219. n. 12.

Sententiæ Absolutoriæ & Condemnatoriæ Accusatoris Pra-
xis. P. 219. n. 13.

Sententiæ formandarum in Causa exceptionis, sive Recusa-
tiæ Praxis. P. 220. n. 14. usque ad 22.

Sententiæ Interlocutoriæ, cum Reus excipit Actorem & Te-
stes Praxis. P. 220. n. 22.

Sententiæ qua conceditur dilatio temporis Praxis. P. 225. n. 23.

Sententiæ dandæ à Judice, ad quem super Appellatione ab in-
terlocutoria Praxis. P. 225. n. 24.

Ubi Appellatio inventa fuerit non subsistens, quomodo mane-
at formanda? P. 226. n. 25. ad 28.

Sententiæ dandæ in casu Appellationis à Sententia definitiva
Praxis. P. 227. n. 28.

Surdi nequeunt esse Ordinum Superiores. P. 29. n. 17.

Suspicio fugæ unde conjici possit de Reo. P. 136. n. 55.

T.

Abidi seu Phtisici, nequeunt esse Superiores Regularium.
P. 27. n. 6.

Testis

Testis quid sit?

P. 75. n. 1.

Testes potiori jure dicuntur absolvere, sive condemnare. P. 75.

n. 2.

Testes qui esse non possunt?

P. 76. n. 3. usque ad 9.

Testis quotuplex sit?

P. 78. n. 9.

Testis varius seu varians quis?

P. 78. n. 10.

Testes discordes qui?

P. 78. n. 11.

Testes ambigu qui?

P. 79. n. 12.

Testes vacillantes qui?

P. 79. n. 13.

Testes falsi qui?

P. 79. n. 14.

Testes omni exceptione maiores qui?

P. 80. n. 15.

Testes singulares qui?

P. 80. n. 16.

Testes Contestes qui?

P. 81. n. 17.

Duo Testes Contestes sufficient ad plenam convictionem
Rei.

P. 81. n. 18.

Testes plures, in quibusnam casibus requirantur? P. 81. n. 19.

Testis ut legitimè probet, quæ observanda? P. 82. n. 20. & sequit.

Testium examinandorum Praxes. P. 188. Cap. 31. per totum.

Testis examen si uno tractu absolvire nequeat, quid facien-
dum?

P. 191. n. 7. & 8.

Tortura quid importet, & quis ejus usus apud Regulares?

P. 90. Cap. 19. per totum.

V.

VAletudinarii inhabiles sunt apud Regulares ad Prælaturas.

P. 27. n. 3.

Similiter venerea lue infecti.

P. 27. n. 5.

Visitationis Generalis Paternæ Praxis. P. 147. Cap. 24. per totum.



E R R A T A

Secundæ Partis, corrigenda.

Ubi P. significat paginam, sive folium Libri. N. signifi-
cat numerum Capituli. V significat versum, Leg. signi-
ficat quomodo legendum est, & imprimendum erat.

P. 2. V. 6. Prop sita.

Le: proposita.

Ibidem. V. 30. Variat.

Le: veniat.

P. 3. n. 7. decepsit.

Le: Accessit.

P. 7. n. 6. hac de re.

Le: Hac in re.

P. 9. n. 6. V. 10. Eruditio con-
spicui.

Le: Eruditione conspicui.
Le: Cui mandata.

P. 8. n. 1. V. 5. Cui mun.

Le: Cui mandata.

P. 10. n. 9. V. 9. Cui mun.

Le: seu substituere.

P. 11. n. 11. V. 2. seu subsistere.

Leg: specificata.

P. 12. V. 9. Specificaa.

Le: Particularē.

Ibid. n. 13. V. 14. Particularē.

Le: Causa.

P. 15. n. 16. V. 12. Causa.

Le: Causam.

Ibidem. V. 19. Causa m.

Le: Remanente.

Ibidem V. 21. Remanente.

Le: Jurisdicō.

P. 16. V. 6. Jurisdicō,

Le: Ex quo ipsa.

Ibidem. V. 7. In eam.

Le: In eum.

P. 18. V. 9. & 10. Dependē.

Le: Dependentibus.

Ibidem V. 25. Ex ca causa.

Le: Ex causa.

Ibidem. V. 28. A Partibus.

Le: à Partibus.

Ibidem. V. 29. Conventuali.

Le: Conventionali.

P. 19. V. 1. C p unt.

Le: cipiunt.

Ibidem. n. 2. V. 7. Rebus.

Le: Rebus.

P. 21. V. 5. & 6. Judicii.

Le: Judicii.

(c)

P. 22.

P. 22. ¶. 4. Univers liter.	<i>Le:</i> Universaliter.	<i>Ibidem.</i> n. 6. Et non malevolā.	<i>Leg:</i> & non malevolis,
<i>Ibidem</i> n. 5. ¶. 10. Del eti.	<i>Le:</i> Delicti.	P. 60. ¶. 1. Moveatur.	<i>Le:</i> movetur.
<i>Ibidem.</i> ¶. 16. Ad communia.	<i>Le:</i> Et communia.	<i>Ibidem</i> n. 15. ¶. 9. Quia semper	<i>Le:</i> Quia semel malu
P. 23. n. 5. ¶. 11. Auothoritate.	<i>Le:</i> Authoritate.	malus.	<i>Le:</i> competente.
P. 24. ¶. 6. Fundamentalem persecutionem.	<i>Le:</i> Fæcunditatē persecutio- num.	<i>Ibid.</i> n. 16. ¶. 2. In competente.	<i>Le:</i> Excitato.
<i>Ibidem.</i> ¶. 22. sequuntur.	<i>Le:</i> seqvuntur.	P. 63. n. 2. ¶. 8. & 9. Excit to	<i>Leg:</i> Nulla prærequiritur.
P. 28. n. 10. ¶. 2. Luc da.	<i>Le:</i> Lucida.	P. 65. n. 6. ¶. 1. Multa præ- quiritur.	<i>Le:</i> Inventa legitimitate.
<i>Ibid.</i> n. 11. ¶. 1. & 2. Arreptit qui à mals spirit u.	<i>Le:</i> Arreptiti qui à malis spiri- tibus.	P. 66. n. 11. Inventa legititate.	<i>Le:</i> terminetur.
P. 29. n. 20. ¶. 2. Quemadmo- dum ciare,	<i>Le:</i> Quemadmodum clarè.	<i>Ibid.</i> n. 12. ¶. 10. Terminatur.	<i>Leg:</i> quid sit.
P. 30. n. 22. ¶. 4. Qui objurave- runt.	<i>Le:</i> Qui abjuraverunt.	P. 67. n. 4. Quis fit.	<i>Leg:</i> deliquerit.
P. 32. n. 5. A icujus.	<i>Le:</i> Alicujus.	P. 69. n. 5. ¶. 4. Deliquerint!	<i>Leg:</i> adduci.
P. 35. ¶. 17. In illa namq;	<i>Le:</i> In illo namq;	<i>Ibidem.</i> ¶. ult. Si pubel.	<i>Leg:</i> si publico.
<i>Ibidem.</i> ¶. 20. Unus & Pauli.	<i>Le:</i> Unus est Pauli.	P. 78. n. 9. Intactum breviter.	<i>Leg:</i> intactum remaneat breviter.
P. 38. n. 13. ¶. 3. Munus exequi	<i>Le:</i> Minas exequi.	<i>Ibidem.</i> ¶. 7. Pro q.	<i>Leg:</i> pro quo sit.
<i>Ibidem.</i> n. 14. ¶. 9. In roductum	<i>Le:</i> Introductum.	P. 80. ¶. 6. Despectus.	<i>Leg:</i> suspectus.
P. 40. ¶. 6. Magna congruit.	<i>Le:</i> Magis congruit.	P. 82. n. 20. ¶. 8. D bet.	<i>Leg:</i> debet.
<i>Ibidem.</i> ¶. ult. Quod ad tempus	<i>Le:</i> Quod tempus.	P. 91. n. 4. ¶. 6. Et æqualis pæ- na.	<i>Leg:</i> vel æqualis ei pæna.
P. 42. ¶. 1. Secundo prolatio.	<i>Le:</i> Sedendo prolatio.	P. 95. Cap. 21. n. 1. Quid pur- gatio.	<i>Leg:</i> Quid sit purgatio.
P. 44. n. 7. ¶. 10. Nostro lateri.	<i>Le:</i> Nostro labori.	P. 96. ¶. 1. Conscientiæ.	<i>Leg:</i> innocentiae.
P. 52. n. 2. ¶. 8. sive punit onem	<i>Le:</i> sive punitionem.	P. 100. n. 5. Ulterior decisio.	<i>Leg:</i> Ulterior divisio.
P. 53. n. 3. ¶. 9. Ex accusatione.	<i>Le:</i> Ex occasione.	<i>Ibidem</i> n. 7. ¶. 2. Et pænam.	<i>Leg:</i> ad pænam.
<i>Ibidem</i> n. 4. ¶. 12. & 13. Et de- linquen em.	<i>Le:</i> & delinquentem.	<i>Ibidem</i> n. 8. Quod observandum	<i>Leg:</i> Quid observandum.
<i>Ibidem.</i> n. 5. ¶. 2. Ideoque Su- periorem.	<i>Le:</i> Ideoque ad Superiorem.	<i>Ibidem</i> n. 11. Judex inscribere.	<i>Leg:</i> Judex subscribere.
P. 55. ¶. 1. Tribunal Rei.	<i>Le:</i> Tribunal Regularium.	P. 102. n. 2. ¶. 3. sineper.	<i>Leg:</i> Sive per.
P. 57. n. 4. Non procedente.	<i>Le:</i> Non præcedente.	P. 103. n. 5. ¶. 9. Est notoriū.	<i>Leg:</i> & notoriū.
	<i>Ibidem</i>	P. 105. n. 9. ¶. 1. Via accusatoris	<i>Leg:</i> via accusationis.
		<i>Ibidem.</i> ¶. 5. Habent.	<i>Leg:</i> habeat.

Ibidem

Ibidem. n. 11. ¶. 1. Eductæ.
P. 106. n. 13. ¶. 13. Per ejus con-
sequens.
P. 116. n. 58. Id fecerit.
Ibidem 59. A quo suspectus.
P. 121. ¶. 7. Et eundem Inter-
locutorium.
Ibidem n. 13. ¶. 7. Vincent.
Ibidem ¶. 12. Resignati.
Ibidem ¶. ultimō. Qui injurias.
P. 126. n. 27. Fieri debeant.
P. 127. ¶. 4. Ita ab inferiore.
P. 134. n. 49. ¶. 5. Ad liberan-
dum.
P. 139. n. 68. ¶. 6. Reformato-
ribus.
P. 140. n. 70. ¶. 4. sequuntur.
P. 141. n. 73. ¶. 4. Dectum est.
P. 143. n. 3. ¶. 5. Conven us.
P. 148. ¶. 10. Et in præsentj.
P. 149. n. 4. An illo Conventu.
P. 154. ¶. ult. Eodem modo.
P. 157. n. 14. ¶. 6. Repeperit.
P. 158. ¶. 4. Ac tamen.
P. 167. n. 16. ¶. 3. Denunciatum
Ibidem. n. 17. ¶. 6. Deinde ex-
tensis.
P. 169. ¶. 3. & 4. Revelationib⁹
Ibidem. ¶. 7. Ubi igitur.
P. 174. n. 1. ¶. 21. Et nunc.
P. 175. n. 2. ¶. 11.. Instanter ego
P. 179. ¶. 1. Nimirum effectum.

Leg: redactæ.
Leg: Per consequens ejus.
Leg: Id non fecerit.
Leg: à quo ut suspectus,
Leg: & eandem interlocutori-
am.
Leg: vincant.
Leg: Resignato.
Leg: Quo casu injurias.
Leg: fieri debeat.
Leg: ita ut ab inferiori.
Leg: ad deliberandum.
Leg: reformatione.
Leg: seqvuntur.
Leg: dictum est.
Leg: Conventus.
Leg: & præstiti.
Leg: an in isto Conventu.
Leg: eo modo.
Leg: repererit.
Leg: ac tandem.
Leg: denuntiantem.
Leg: deinde ostensis.
Leg: Relationibus.
Leg: Cum igitur.
Leg: exnunc.
Leg: instanter ergo.
Leg: nimirum ad effectum.

P. 180.

P. 180. ¶. 4. à Patribus.
P. 184. ¶. ult. Frater N. ex Of-
ficio.
P. 185. ¶. ult. Descendetur.
P. 191. n. 4. ¶. 3. Prædicti Testi.
P. 192. ¶. 26. In arca Conven-
tus.
P. 193. n. 15. ¶. 7. Illorum ini-
mitiae.
P. 196. ¶. 13. Necesse duo.
P. 198. n. 1. ¶. 3. Præmissa De-
creta.
P. 199. ¶. 17. Quod memoratus
P. 200. ¶. 29. Et si respondeat.
P. 202. n. 12. ¶. 4. Militant.
P. 203. n. 17. ¶. 6. Militant.
P. 208. ¶. 11. Nullis suiici.
P. 209. n. 8. ¶. 3. Cum elegerit.
P. 214. n. 3. ¶. 15. Et manda-
mus.
Ibidem. ¶. 16. & 17. Non solum
hac, sed & omni alia via &
modo.
P. 217. n. 10. ¶. 5. sit reputatus
P. 221. n. 15. ¶. 14. Ad normam
P. 230. n. 3. ¶. 4. Parti denuò.
Ibidem. n. 5. ¶. 4. Condemnans.
P. 231. ¶. 9. Ejus Apellationem
Ibid. ¶. penul. & ult. Deferendam
P. 234. n. 13. ¶. 4. præseferan-
tus.

Leg: à Partibus.
Leg: F. R. N. Testis ex Officio.
Leg: descendatur.
Leg: Prædicto Testi.
Leg: in area Conventus.
Leg: Illorum causam inimicitia.
Leg: necesse est duos.
Leg: Præmisso decreto.
Leg: Quatenus memoratus.
Leg: Et si incipiat.
Leg: militent.
Leg: militent.
Leg: nullis subjici.
Leg: eum elegerit.
Leg: Det mundamus.
Leg: non solum hoc, sed & o-
mni alio meliori modo, via &
forma.
Leg: sit repertus.
Leg: ad normam.
Leg: Fratri N. denuò.
Leg: condemnat.
Leg: ejusq; apellatione.
Leg: deferendum.
Leg: præseferuntur.

P.

P. 237. ¶. 2. à cursivo.

P. 244. ¶. 23. expectabam.

P. 246. ¶. 16. decisionis.

P. 249. ¶. 16. uniur.

Ibidem, ¶. 33. practicandum.

P. 250. ¶. 30. Cohabitato.

P. 251. ¶. 9. ad ultimum.

P. 253. ¶. 16. solumus.

D^r 252. ¶. 4. & mutandum ma-
net.

Le: Accursio.

Le: expetebam.

Le: decisioni.

Le: unus.

Le: practicando,

Le: cohabito.

Le: ad ultimum,

Le: solemus.

Le: mutandum manet.



17122. x.

